






32
7 A
6







Captivus Redemptor, et Martyr Venerab: Vir Dei, P. Fr. Joannes à Jesu Maria, Trinitarius Discalceatus, Algerij Mortuus in Captivitatè 24 Junij Annô 1672.

Joseph & Andre Schmuzers sc

CAPTIVUS
REDEMPTOR.
Hoc est:
VITA, & RES GESTÆ
V. P. Fr.
JOANNIS
A JESU MARIA
Ordinis Excalceatorum SSS.
TRINITATIS Red. Captivorum,
AUTHORE
P. Fr. JOSEPHO à S. MARIA Trinitario
Excalceato, & Definitore Generali Emerito,
AUDITORIBUS OBLATUS,
DUM
In Collegio Tyrnavienſi Ordinis SSS.
TRINITATIS Redemptionis Captivorum
Annô M. DCC. XLIII. Menſe Septembri Die 9
POSITIONES
PHILOSOPHIÆ
RATIONALIS, ET NATURALIS
Publicè propugnarent
Fr. FRIDERICUS à JESU NAZARENO, &
Fr. CONSTANTINUS à B. VIRGINE
Prælibati Ordinis Profeſſi.
PRÆSIDE
P. Fr. VENANTIO à S. AGNETE,
Philoſophiæ Lectore Actuali.


TYRNAVIÆ, Typis Academicis Soc. JESU 1743.



SUB
GLORIOSISSIMIS AUSPICIIS
IN
Celeberrima Universitate Parisiensi
DOCTORIS EMINENTIS,
Zelantissimi
DALMATIÆ, ET DIOCLIÆ
APOSTOLI,
DIVI PATRIARCHÆ
S. P. N.
JOANNIS
DE MATHA,
Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de
Redemptione Captivorum
FUNDATORIS.
CUI
Se, suásque Positiones Philosophicas
in humillimam filialis devotionis
tesseram
D. D. D.

Præses, & Defendentes,
qui suprà.

GLORIOSISSIME
PATRIARCHA
S. P. N.
JOANNES
DE MATHA.


Estos Tibi *hodie celebrare dies non præsumit tenuitas nostra* Sancte Pater! *utpote quòd amplissima* Tui *Nominis Majestas, Majestuosa* Patriarchæ *dignitas, dignissima sanctitatis memoria celsissimos*

alioquin æternaturæ gloriæ plausus resolvant, ut jam sic nihil omnino supersit, quod feliciorem ultro memoriam commendaret. Suis esto in deliriis insaniant, qui magna maximis appingere conantur, summa tamen nobis temeritatis argumentum foret, clarum obtenebratâ faculâ meridiem illustrare. Id vota petunt, ut devotissimô pietatis lytrô, debitáque JOANNI *clientelâ parentemus. Sistimur etiamnum, laureatisque Essedis* Tuis *adsternimur* Dive Patrone! *ubi namque victricibûs palmîs gloriaris, victas* Tibi *manus debemus, & in hoc summa nobis beatitudo est, dum nonnisì Paternis vinculîs captivamur. Magna sanè virtus erat Joannis in vinculis, celebrem sibi immortalitatis memoriam* Redemptor *peperit, qui pro lege fraterna* captivus, *esse peroptabat. Et* Tu JOANNES *es* Sancte Pater *Redemptorum Ante-Signanus, & animam pro fratribus dira sub barbarorum tyrannide posuisti, quo sic* Redemptoris *nomen charitatis munere condecorares. Parùm* Tibi *erat Redemptoris nomen gestâsse, nisì & ea explevisses, quæ tali nomine digna petuntur; minùs*

repu-

reputabas JOANNEM *esse, nisì & gratiis abundares; minimùm dicebas* Te Patrem *compellitari, nisì & in filiis Redemptores numerares. Extremas quidem curas isthæc* Tibi *solicitudo minabatur, sed enim ardua, quæ pulchra! solum coronæ certantem manent. Certâsti equidem* Gloriosissime Patriarcha! *ubi vix vitam spirares, & ad ultimas usque horas certásti: meritas proin* Tibi *palmas Superi plectunt, quas perennatura sæculorum memoria vel inde mirabitur, quasi verò uni gloriæ natus* JOANNES *soli, polique nobilitatem ferre debuisset. Tulit etiam* JOANNES *suum cuique decus: mundo quidem, dum celeberrimis Parisiensis Academiæ cathedris suam* Doctoris Eminentis *ceram imprimeret, Apostolicis Dalmatiæ & Dioclia muniis subscriberet, cunctarum demum Regionum Magnus semper Patronus staret. Et cælos collustrat, dum Patriarchale vexillum adorandæ* Trinitatis *symbolum explicat, quo ter trinos Angelorum choros ad trinam* Sanctitatis *laudem indesinenter invitat.*

Ha-

Habet jam cœlum Gloriosum Incolam, habet & orbis Thaumaturgum; & Tu *habes* Sancte Pater! *in quo triumphes. En* Tibi Joannes Redemptor captivus! *plures quidem Ordinis* Tui *Filios Redemptores jactitas, qui, ut barbara tyrannorum vincula disrumperent, pro sua, & Patris pietate vitam profundere eò minùs dubitabant, quò magis æstimabant Patris vestigia æmulari, unum* Tibi *Joannem sistimus, quem, ubi vincula solvere docuisti, vinculis mancipatum vide, & charitatis pondere pressum. Cum hoc* Tibi *captivam, suisque obscuritatum tenebris implicatam adducimus Philosophiam nostram.* Te *solum illa* Redemptorem *appellat*, Te *lucis suæ* Authorem *postulat eousque cymeria in caligine permansura, quoadusque benignissimos* JOANNES *gratiarum radios concesseris. Solve vincula, da fulgorem, piámque clientelam respice*

Devotissimorum filiorum Tuorum.

CONCLUSIONES PHILOSOPHIÆ Rationalis, & Naturalis.

I. LOgica eſt Ars & Scientia purè practica. II. Nullum claudit habitum utentem. III. In ſuppoſito tamen exiſtentiæ habitûs Logicæ utentis, is foret realiter diſtinctus ab habitu Logicæ docentis. IV. Ad alias ſcientias in ſtatu perfecto. V. Etiam cum extrinſeca reflexæ ſecuritatis perfectione acquirendas non eſt ſimpliciter neceſſaria. VI. Ad actus aliarum ſcientiarum ſolùm moraliter influit. VII. Objectum materiale proximum Logices ſunt omnes tres mentis operationes proùt in fieri conſideratæ. VIII. Formale, rectitudo practica. IX. Attributionis, ſyllogiſmus rectus ex forma. X. Diſtinctio realis formaliter ſtat in negabilitate intrinſeca unius de alio in recto. XI. Inter gradus metaphyſicos ejusdem individui creati impoſſibilis eſt diſtinctio Scotiſtica, & virtualis intrinſeca. XII. Sicut & præciſiones objectivæ objecti tum in ſe, tum in ſubſtituto cogniti. XIII. Univerſale metaphyſicum fit per cognitionem formaliter præſcindentem XIV. Non datur adæquatè à parte rei. XV. Univerſale Platonicũ non eſt chimæricum. XVI. Univerſale logicum dictum, de individuo ma-


net

nec universale. XVII. Ens præscindit à differentiis, & hæ vicissim ab ente. XVIII. Relatio prædicamentalis formaliter stat in ratione fundandi proxima, & adæquata. XIX. Principia corporis naturalis in fieri sunt tantùm materia, & forma. XX. In facto esse nulla. XXI. Materia prima in serie omnium formarum substantialium appetit ignobiliores præ nobilioribus. XXII. Naturaliter spoliari nequit omnî formâ substantialî. XXIII. Sciri non potest: utrùm forma pridem corrupta naturaliter, vel verò solùm supernaturaliter reproduci possit. XXIV. Repugnant formæ substantiales partiales. XXV. De absoluto possibilis est modus ad modum in eodem genere. XXVI. Totum non distinguitur realiter à partibus simul sumptis. XXVII. Naturaliter possibilis est duplex causa in actu secundo totalis respectu ejusdem numerô effectûs. XXVIII. Naturaliter possibilis non est replicatio, res tamen replicata plùs potest, quàm non replicata. XXIX. Pro statu physicæ existentiæ non repugnat infinitum categorematicum creatum tam in numero, quàm intensione, & extensione, esto repugnet creatura perfectissima. XXX. Continuum tam successivum, quàm permanens componitur ex partibus in semper divisibilia divisibilibus. Et hæc

O. A. M. D. G.

LE-





LECTOR BENEVOLE.

Cùm in præſentem Hiſtoriam, quam in quarta parte Chronicorum noſtrorum eleganti ſtylo doctiſſimus P. Fr. Lucas à Purificatione Hiſpanicè conſcripſit, atque annô reparatæ ſalutis milleſimô,

 ſeptin-



ſeptingenteſimô, trigeſimô, ſecundô in Regia Civitate Granatenſi typis ſubjecit, cùm, inquam, in præſentem Hiſtoriam incidiſſem, materiæ amœnitate illectus, & eventuum varietate captus, non potui à me impetrare, quin illam inter diverſos mox tenerrimæ compaſſionis, mox juſtiſſimæ indignationis, mox liquidiſſimi gaudii affectus à capite usque ad calcem percurrerem. Cùm verò impendiò dolerem tam illuſtre virtutis exemplar ſub modio particularis cujusdam linguæ deliteſcere, cúmque firmiter mihi perſuaſum haberem, talem laudibûs potiùs celebrandam, quàm vituperiîs plectendam curioſitatem non

ſo-

ſolùm in privati cujusvis lectoris utilitatem ceſſuram, verùm etiam in omnium cordibus Chriſtianam compaſſionem excitaturam, tam erga pauperes ſub graviſſimo jugo barbaricæ ſervitutis gementes captivos, quàm erga ipſos Patres Redemptores, qui ad tam periculoſam ſpartam ablegantur, animum appuli, ut illam rudî quidem, ſed tamen perſpicuô, & minimè phaleratô ſtylô in lingua latina deſcriberem. Ad hoc audendum, cùm propria deterreret ingenii imbecillitas, & curta nimis eloquentiæ ſupellex, potiſſimùm inductus fui ſuaſu, & hortatu R. P. Andreæ à S. Gertrude p. t. Redemptoris Actualis, qui & ipſe repeti-

 tîs

tis vicibûs hanc ancipitem aleam ſubivit, utpote qui annô milleſimô, ſeptingenteſimô, vigeſimô in Societate piè defuncti P. Fr. Joſephi à JEſu Maria, Viri à vitæ integritate, ac virtutum ſplendore clariſſimi, præter quadringentos, ſexaginta, & unum adultæ ætatis captivos, etiam nonaginta quatuor impuberes infantes redemit; & triumphalî pompâ Viennæ, urbium Reginæ, invexit, tota civitate inter pias lacrymas applaudente, cùm videret, innocentem hanc, & balbutientem turbam ſtygii accipitris unguibus ereptam, & felici ſorte in ovile Chriſtianæ Eccleſiæ translatam. Et ne putares eum periculorum magnitudine

tudine ab insigni hoc consummatissimæ charitatis fervore elanguisse, rursùs annô elapsô, millesimô nimirum, septingentesimô, trigesimô quartô in simile se rursùs discrimen magnô prorsùs animô, nec pœnitendo successu conjecit, utpote qui ducentos, & undecim captivos à vinculis tristissimæ servitutis exemit. Tu verò Lector benigne Divinæ Majestati debitas persolvere gratias non desine, quòd te à tali calamitate clementissimè præservaverit. Compatere pariter miseris tuis in Christo fratribus, pauperibus, dico, captivis Christianis, qui tyrannide infidelium Mahometanorum pressi vitam in captivitate ducunt, omni



morte amariorem, eísque munifica manu pro facultatum tuarum modo ſuccurrere memento.

PROTESTATIO AUTHORIS.

Ut decreto SS. D. N. Urbani VIII. eam, quam par eſt, reverentiam, ac obſervantiam deferam, proteſtor, omnia, quæ in hoc libello ſpeciem Sanctitatis, miraculi, aut prophetiæ præſeferunt, à me non alio loco haberi, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem infallibili Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nituntur. Et ſicut illis majorem certitudinem non vendico, ità nec ab aliis majorem eis adhiberi cupio.



CAPUT PRIMUM.

De ortu, & parentibus V. P. Joannis, necnon de aliis quibusdam eventibus, qui contigerunt ante ejus in S. Religionem noſtram ingreſſum.



On minùs ſapienter, quàm eleganter locutus eſt Vates Huſſæus, quando dixit, Vitam hominis in hoc mundo eſſe perpetuam irremiſſámque militiam. Homo ad labores naſcitur, atque hi ſunt demum deliciæ illæ, quas miſerabilis, & infrunitus mundus amatoribus ſuis propinat. Divina Providentia antiquiſſimo prorſus more illos magnîs, crebríſque ærumnis affligere ſolet, quos ſibi in Vaſa peculiaria ſuæ gloriæ elegit; vix namque reperire licebit aliquem ſanctum, cu-

jus triumphalis corona in officina calamitatum, & miseriarum procusa non fuisset. Id sanè præsens vita piissimi P. Fr. Joannis luculenter comprobat, utpote quæ tota ex sexcentis, sibíque perpetim succedentibus ærumnis, & afflictionibus contexta fuit, adeò, ut giganteus spiritus ejus solô adversitatum pabulô dignè pasci potuisse videatur.

Caminas, nobile oppidum Archiepiscopatûs Toletani, magnanimo huic, & invicto Christi Athletæ cunas genitales dedit. Parentes nactus est non minus ab avita nobilitate, ac fumosis Majorum ceris, quàm à virtute, & exquisita in Deum pietate conspicuos. Si cuncta hujus illustrissimæ Familiæ ornamenta recensere vellem benè grandi volumine opus esset. Sed ut brevitati consulam, nec prolixa nimis narratione Lectoris patientiâ abutar, impræsentiarum dixisse sufficiat, patrem ejus fuisse Dominum Jacobum Lopez de Cervantes, genitricem verò illius, Dominam Paulam

Iam de Cervantes, Sardio, & Oroczo.

Hæc nomina utriusque parentis nobilissimum stemma cumulatissimè ostendunt. Abavi, & agnati omnes V. nostri P. Joannis aut summa in Hispania honorum temporalium subsellia occupârunt, aut in sacris Ordinibus Militaribus Melitensi nimirum, S. Jacobi, & Calatravæ gloriosè effulserunt.

Cæterùm quantò altiùs nativa sua nobilitate in hoc mundo sublimati fuerunt, tantò impensiùs omnigenarum virtutum studio sese addixerunt. Certè parens ejus tantos in castris Christianæ pietatis fecit progressus, ut tandem promeritus fuerit, cui ultima vitæ suæ hora cœlitus revelaretur. Qua instante, sano, vegetóque etiamnum corpore in forum prodiit, amicis suis, & consanguineis, necnon ægrotis in nosocomio, ac demum Religiosis in monasteriis officiosissimè valedixit, omnibúsque significavit, supremam illam, & inevitabilem horam adesse, qua Deus illum ex hoc mundo

do evocare decrevisset. Stupebant universi, nec sibi quisque satìs verba ejus intellexisse credebat, dum mors ex inopino superveniens veritatem vaticinii comprobavit, cunctorúmque ora in Dei laudes, & præconia servi ejus resolvit. Ex talibus parentibus ortus est piissimus P. noster Joannes annô reparatæ salutis 1620.

Mox ùt in hanc lucem prodiit, mirâ statim morum innocentiâ, & proclivi quadam in omnem pietatem indole futuræ sanctitati suæ haud obscurè prælusit, ut proinde mater ejus, blandissimæ prolis suæ amore capta crebriùs hîs verbîs illum compellaverit. Veni! veni dulcissime pusio! vix mihi sat credas, quantum te diligo! cor námque meum mihi præsagit, te aliquando Excalceatum Religiosum futurum. Grandi itaque cura, & solicitudine educatus, adeò in omni virtutum genere profecit, ut coævi in illum, ceu speculum quoddam totius honestatis respicerent, ejúsque pietate calcar sibi ad æmulandam ipsius probitatem sub-

ſubdi ſentirent. Nunquam ex ore ejus, ut in aliis hujus ætatis pueris uſuvenire conſuevit, verbum aliquod egreſſum fuit, quod murmurationem redoleret, quin imò tantam ubique morum gravitatem præſetulit, ut adulto viro, quàm impuberi adoleſcenti ſimilior videretur. Prima litterarum elementa domeſticos inter parietes combibit, quibus exhauſtis, ut animum altioribûs diſciplinîs informaret, bonâ parentum ſuorum veniâ Complutum migravit. In qua ille urbe inter perpetuos ſcholaſticarum exercitationum labores, integrô trienniô eſt diverſatus, neque ſolùm ingenii ſui perſpicaciâ cantatiſſimum illud orbis Hiſpanici Lyceum illuſtravit, verùm etiam inculpatæ vitæ integritate omnibus condiſcipulis ſuis facem ad virtutes prætulit. Atque in hiſce pietatis, & litterarum occupationibus vigeſimum primum ætatis ſuæ annum attigit.

In patriam deinde à parentibus revocatus, in ipſo ſtatim vitæ ſuæ proſcenio

nio novercantis fortunæ cæpit urgeri assultibûs; nam cùm pater ejus nihil non ageret, ut Filium induceret ad suscipiendum Ordinem Melitensem, sive S. Joannis Hierosolymitani, tum quòd huic alii duo patrueles ejus inserti essent, tum quòd plerique Majorum ejus in hoc Ordine laudatissimam vitam transegissent, Filius autem eo adhuc tempore à statu vitæ religiosæ abhorreret, atque adeò variis tergiversationibus exosa patris jussa effugere niteretur, iste in furorem actus mox precibûs, mox verò minîs Filium in suam sententiam traducere conatus est. Sed nequidquam; nam cùm Divina Majestas Joannem nostrum ad aliud vitæ genus prædestinâsset, irritæ fuerunt omnes intentatæ minæ, precèsque. Hac repulsâ, veluti oleô quodam igni infusô, ira patris vehementiùs exarsit tantáque sumpsit quotidianîs accessionibûs incrementa, ut Filius, genitoris declinaturus furorem, coactus sit patriam deserere, & apud quemdam cognatorum suo

ſuorum in oppido, Alcazar S. Joannis dicto, opem, & protectionem quærere. Pater ùt clandeſtinum diſceſſum Filii ſui intellexit, dici vix poteſt, quàm impotente bile ſit ſtomachatus, & quanta indignatione efferbuerit, quòd ſimilem auſum nunquam à tali Filio expectâſſet. Protinus itaque itineri ſe commiſit natum ſuum inveſtigaturus, quamvis ignoraret, quo ſe verteret, ut ad ejus indaginem perveniret. Tandem fortunâ propitiâ in domum illius cognati deductus, ut primùm Joannem conſpexit, mox in furias actus totam verberum, & conviciorum grandinem in caput ejus detorſit, imò furoris impetu eo uſque abreptus eſt, ut Filio non ſolùm hæreditatis jacturam, ſed & ipſam quoque mortem minaretur. Grandis profectò inſania, quam tamen multi parentes inſaniunt, dum præpoſtero liberorum amore excæcati, eos ad tale vitæ genus amplectendum cogere nitantur, quod iſti totô animô averſantur.

Hæc

Hæ minæ, terrorésque furibundi genitoris in causa fuerunt, ut Joannes noster ex uno præcipitio in alterum se jactaret. Viderat fortassis militum manipulos oppidum illud transeuntes, qui ad solvendam obsidionem, qua Illerda ab inimico Gallorum exercitu premebatur, Cæsar-Augustam properabant, ubi illos Philippus IV. grandi jam collecto militum agmine præstolabatur. Viderat hos, inquam, dum ei protinùs in mentem venit se nusquam tutiùs irati patris vultus effugiturum, quàm si militiæ nomen daret. Accessit igitur centurionem cujusdam cohortis, eúmque submissîs precibûs rogitavit, ut se in Album militare referret. Cunctatus ad hæc centurio, qui illustrissimum stemma hujus nobilis candidati probè perspectum habebat, non priùs huic petitioni annuere voluit, donec voluntatem ejus consanguineorum exploràsset. His itaque preces Joannis nostri exposuit, simúlque conceptîs verbîs spopondit, Joannem, si Pater illius
confer-

conſentiret; nequaquam à ſe in ſortem gregariorum militum cooptandum, ſed extemplò vexilliferi munere cohoneſtandum eſſe. Pater, & amici ejus longa, & matura deliberatione præmiſſa aſſenſum præbuerunt, firmiter perſuaſi, feroculum adoleſcentis animum militaribûs laboribûs adeò emollitum iri, ut poſtea ſtatum Religioſum beneficii locò ſit computaturus. Eum itaque novîs, pretiosîsque veſtibûs ornatum fatis ſuis commiſerunt. Iſte autem acceptô vexillô iter Cæſar-auguſtanum geſtiente, ac exultante animo eſt ingreſſus.

Et ille quidem omnes jam fortunas ſuas in tuto locatas eſſe arbitrabatur: Verùm Divina Providentia altiſſimîs ſuîs, & inacceſsîs rationibûs rem ità diſpoſuit, ut iidem paſſus, quos Joannes noſter ad obſequium Regis cujusdam terreni accelerabat, eum rectâ viâ ad ſpiritualem militiam ſupremi Regis æternæ gloriæ perducerent. Etenim licèt Cæſar-auguſtam feliciter

tenuiſſet, adeò tamen triſtem, & funebrem rerum faciem ibidem offendit, ut confeſtim ad alia conſilia ſuſcipienda impulſus fuerit. Lati ſiquidem illi, & ſpatioſi campi, quibus urbs Cæſar-auguſtana, majestuoſa, & ſpectabili mole inſidet, tot erant repleti funeribûs, & ægrotorum hominum corporibûs, ut ingentis magè cujusdam noſocomii, quàm militarium caſtrorum imaginem referrent; peſtis enim, quæ magnum illum exercitum depopulabatur, tam crudeli eſt bacchata ſævitie, ut ſublatîs plurimîs de grege vulgi, funeſtos tandem etiam dentes ſuos ſacratæ Majeſtati Philippi Quarti infixerit: Ut proinde in amplis illis & diffuſis caſtris nihil aliud videre licuerit, quàm miſeræ ſortis veſtigia, nec aliud audire, quàm gemitus, & ſuſpiria. Hoc ferali ſpectaculo Joannes noſter adeò perculſus fuit, tamquam ſi horrificum Meduſæ caput coram aſpexiſſet.

Tunc ille tandem oculos ſuos aperuit, & ardente jam proximo pariete

te periculum agnovit, in quod ſe propria ſponte præcipitem egerat. Multò tamen acriori terrore perculſus eſt, cùm vidiſſet, pleroſque ſuorum commilitonum, qui cum ipſo ſani Cæſaraugustam pervenerant, epidemicæ luis virulentiâ afflatos intra paucos dies in fata ceſſiſſe, cæteros autem ferè omnes mali hujus contagiô jam infectos fuiſſe. Oculîs itaque in cœlum levatîs cœpit multa bona propoſita concipere, eo prorſus tempore, quo & ipſe, Deo permittente, peſtis hujus venenô ſe intoxicatum perſenſit. Tunc enim verò extrema gaudii luctus occupavit, & in locum prioris lætitiæ, & exultationis altiſſima ſucceſſit triſtitia. Jacebat ille omni humana ope deſtitutus, procul à patria, & neceſſariis ſuis remotus, nec, quo ſe verteret, habebat. Viderat amicorum ſuorum alios extinctos, alios morbô correptos, & ex iſtis mox hunc, mox illum inter luctiſonos ſingultus animam exhalare, cæteros verò, ſupremos anhelitus reciprocare.
 care.

care. Hîs ille anguſtiîs obſeſſus ad tutiſſimum miſerorum aſylum, clementiſſimam nimirum Virginem, Dei Matrem Mariam confugit, ubertímque profusîs lacrymîs vovit; ſe citra ullam dilationem Religionem aliquam ingreſſurum, ſi Ejus præpotente ope adjutus præſentiſſimum hoc mortis diſcrimen evadere mereretur. Hîs ille gemitibûs Sereniſſimæ cœlorum Reginæ favorem efflagitavit, nullô intereà aliô tectus operimentô, quàm levidensî quodam, & maléſartô tentoriô, nec aliis pharmacîs inſtructus, quàm quæ extrema illa confuſio, & derelictio ſuppeditare valebant.

Neque diſtulit propitia illa gratiarum Aurora, quæ nulli afflictorum pietatis ſuæ radios negare conſuevit, ſupplici ſervulo ſuo auxiliares manus porrigere; Ejus námque diſpoſitione factum eſt, ut ægroti Joannis noſtri papilionem quidam ſacerdos ſubiret. Miſſionarius erat ille caſtrenſis ex Seraphico Ordine S. Franciſci,

qui

qui cùm languidos milites in tentoriis visitaret, tandem etiam in hunc tristissimum, omnîque humanô subsidiô destitutum adolescentem incidit. Joannes, ùt virum religiosum ante oculos suos conspexit, non minorî gaudiô delibutus fuit, quàm si angelum quemdam cœlô delapsum intueretur. Pius autem ille Religiosus, ùt vidit, in quanto periculo nobilis hic juvenis versaretur, ei ante omnia suasit, ut conscientiam suam sacra confessione expiaret, quod cùm Joannes fecisset, ac deinde Patri anteactæ vitæ seriem, votúmque suum illa die conceptum, ex ordine narrâsset, eum vir ille Religiosus hîs verbîs est affatus: Macte animo charissime Fili! perge porro tantùm omnem fiduciam tuam in clementiam Virginis Deiparæ collocare; hæc enim, cùm sit Salus infirmorum, procul dubio desideratæ sanitatis te compotem efficiet, fractásque corporis tui vires restaurabit. Ut autem voto tuo prudenter satisfacias, opus est, enixîs precibûs

 hanc



hanc cœli Reginam implorare, quatenus ipſa tibi Religioſam illam Familiam manifeſtare dignetur, in qua tuîs coli volet obſequiîs. Hîs dictîs bellaria nonnulla ê ſinu produxit, quæ cùm ægroto tradidiſſet, &, ut illîs languentem ſtomachum confortaret, præcepiſſet, eum grandî ſólatiô perfuſum reliquit: ipſe autem charitatis ſuæ curſum ad alios infirmos eſt proſecutus.

Hôc alloquiô, & conſiliô recreatus Joannes cœpit ſomno indulgere: ſub ortum diei expergefactus videbatur ſibi jam penitùs convaluiſſe absque alio pharmaco, quàm ſacramentali confeſſione, & emiſsô votô ſuô. Alacrî proinde animô è ſtrato proſiliens properabat votum, Divæ Sospitatrici ſuæ factum, quàm celerrimè reddere. Tentoriô itaque curæ cujusdam militis commiſsô ad urbem contendit reditum in patriam adornaturus. Verùm ille vix aliquot paſſus promoverat, dum novi paroxyſmi violentiâ oppreſſus ante domum cujus-

jusdam illuſtris matronæ tanto impepetu corruit, ut ſtrepitu ruentis excita quædam ancilla avidè ad feneſtram accurrerit tanti ſonitûs cauſam exploratura. Hæc cùm nobilem illum adoleſcentem ſenſibûs privatum, & propè exanimem jacere conſpexiſſet, compaſſione tacta triſtem hunc caſum in dominæ ſuæ notitiam detulit.

Lapſum hunc Divina Providentia permiſit, ut Neoptolemus iſte tantò majori conſtantia in bono ſuo propoſito reſurgeret. Domina illa, ante cujus veſtibulum Joannem cecidiſſe diximus, erat matrona non minoris pietatis, quàm nobilitatis. Unde absque ullo contagii timore, immemórque omnium cautelarum, quæ pro tam exitiali malo avertendo adhiberi ſolent, illicò præcepit, ut nobilis hic juvenis proprio ejus cubiculo inferretur, & in molli quodam lectulo collocaretur. In hoc ille totîs quinque horîs omnium ſenſuum expers, & mortuo ſimillimus, niſi

 quòd

quòd tenuis quidam anhelitus vitæ argumentum præbuerit, miserando sanè schemate decubuit. Quo tempore, ùt piè creditur, ei Beatissima Virgo Ordinem revelavit, ad quem Deus illum prædestinaverat; elapsîs enim quinque horîs, quas in hoc suo sive deliquio, sive enthusiasmo transegerat, subitô oculos aperuit, & quin aliud priùs verbum proferret, anxiè statim sciscitatus est, num excalceati PP. Trinitarii in hac urbe domicilium aliquod obtinerent? Respondentibûs illîs, qui eum circumstabant, rem se ità habere, protinùs è lecto surrexit, & post officiosissimam gratiarum actionem pro tam insigni charitate sibi exhibita, nec expectatâ saltèm sorbitiunculâ, quæ ei confirmando offerebatur, rectâ viâ ad cupitum claustrum contendit.

Sed heûs Domine Joannes! quorsum tam properè? Quid sibi vult tam incitata titubantium etiamnum pedum festinatio Domine vexillifer?

Sicci-

Siccíne militaris ille ardor tam citò deferbuit? Siccíne levis quidam paroxyſmus tam velociter Martiæ gloriæ faſtidium parere potuit? Equidem Dominatio ſua nondum vidit truces hoſtium ſuorum vultus, nec ſcintillantem minacium gladiorum aciem, nec audivit terrificum reboantium bombardarum fragorem, nec ignivomos æneorum tormentorum mugitus, & jam receptui canit? jam talaria circumſpicit? Hoc ſanè exiguum ei conciliabit honorem! Totus mundus tale factum timiditati, aut vecordiæ imputabit. Forſitan Dominatio ſua triſti cujusdam ſomnii facie ludificata fuit? Aſt noverit evanidas Morphei imagines, ab omnibus cordatis hominibus contemni. Videtur intellectus ejus immodico luctu è cardinibus evulſus fuiſſe; nam in quem hominem cadat, ut ſplendidum ſagum rudi, & pannoſa veſte monaſtica, argenteum gladium ligneô roſariô, ſericum baltheum coriaceô cingulô, criſtatam denique caſſidem

laneô cucullô permutare, omnibúsque militaribus honoribus viam incidere velit? Præcipitatæ ſanè reſolutiones longam plerumque pœnitudinem, ceu ſyrma quoddam oneroſum poſt ſe trahunt! Præcoces fructus ùt plurimùm celeriter marceſcunt! Plerique hanc mutationem levitati adſcribent. Quid autem? ſi veſtis monaſtica æquali inconſtantiâ abjiceretur, ac cingulum militare? Quod ſi verò Dominatio Veſtra aut pertinaciter, aut conſtanter in propoſito ſuo perſiſtere conſtituit, non deſunt alii Ordines mitiores, in quibus homo æquè Deo ſervire, & æternam ſalutem conſequi valet. Verùm omnes hæ echeneides curſum ejus ſufflaminare nequibant; ardentî námque deſideriô voto ſuo ſatisfaciendi ſtimulatus, omnes mundi, & carnis ſuggeſtiones ſurda aure pertranſivit, atque hôc factô ſuô votifragos illos homines condemnavit, qui in anguſtiis conſtituti cœlo aureos montes pollicentur, diſcuſſa verò calamita-
te

te ne æreum quidem obulum solvunt.

Vix pedem claustro intulerat, dum illi Religiosus quidam, P. Alphonsus à Resurrectione occurrit, cum quo ei jam priùs Alcazarii necessitudo quædam intercesserat. Hic, ùt nobilem hunc juvenem adeò pallidum, & macilentum conspexit, eum comiter salutatum ad religiosum prandium invitavit, quo exhaustum corpus refocillaret. Sed excusavit Joannes, dixítque, se longè aliis cibîs opus habere, neque priùs corpori refrigerium concessurum, donec ei mentis suæ arcana exposuisset. Paucîs itaque præsentem statum suum, omnésque casus, quibûs hactenus conflictatus fuerat, ei aperuit, ac denique etiam votum recensuit, quo se ad hanc S. Religionem suscipiendam obstrinxerat. Inopinata hæc propositio P. Alphonsum ambiguum admodùm, perplexúmque reddidit; nam cùm videret adolescentem hunc adeò morbidum, & à venenata lue non-

nondum plenè perſanatum, plurimîs etiam paraſangîs à patria remotum, ex qua informationes de vita, aliiſque rebus petendæ erant, non eſt auſus ejus deſiderio velificari, ſed, ut illum ſolatio aliquo recrearet, dixit longè ſatiùs fore, ſi patriam repeteret, & fractam valetudinem reſtauraret, nec dubitaret, ſe recuperata ſanitate voti compotem futurum, quòd S. Religio in illo inſigni oppido jam per aliquot annos novam fundationem moliretur, ubi ille amicorum ſuorum interceſſione, quos ibi habebat nobiliſſimos, & potentiſſimos, facillimô negotiô ſibi viam ad ingreſſum Ordinis aperire, ac munire valeret; in hoc námque conventu tot ex adverſo ſurrecturas eſſe difficultates, ut nec animum inducere poſſet, ad ejus preces aliis Religioſis proponendas. Verùm quidquid ille diceret, Joannem à propoſito ſuo abſterrere non potuit, quin imò, quaſi hîs ipsîs repulsîs, & tergiverſationibûs deſiderium ejus auctum fuiſſet, cœpit longè

gè efficaciùs intentionem ſuam urgere, certus pedem è monaſterio non efferre, donec aliis quoque hujus Conventûs Religioſis petitionem ſuam expoſuiſſet. Immodicus ardor ejus inflammati ſpiritûs adeo excreverat, ut ſingula etiam momenta, quibûs à cupito fine ſuo arcebatur, totidem æternitates eſſe reputaret. In ipſo proinde ad litteram impletum fuit, quod mellifluus Claravallenſis Abbas S. P. Bernardus quondam ſcripſit: *Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.* Penetravit itaque interiores partes clauſtri, & obviorum Religioſorum pedibus advolutus inter effuſa lacrymarum flumina obſecrabat, ut ſe in eorum conſortium admittere, ſibique Sacrum Religionis ſuæ habitum impertiri dignarentur. Tam incenſa, & humilis petitio non potuit non animos illorum Religioſorum commovere. Itaque in unum congregati de illo ſuſcipiendo deliberârunt, & quamvis non deeſſent, qui attenta infirmitate illius ſeſe difficiliores exhibe-

hiberent, ad extremum tamen cunctîs sopitîs difficultatibûs, omnes in ejus admissionem conspirârunt, eúmque in hoc ipso Conventu Cæsaraugustano Sacra Ordinis veste donârunt, annô ætatis suæ vigesimô secundô. Quo favore obtento Joannes tantîs incessit gaudiîs, ac si nobilissimum de profligato Gallorum exercitu triumphum reportâsset.

CAPUT II.

De Heroicis virtutibus Fratris Joannis, ejúsque piissima vita, qua in S. Religione nostra resplenduit.

AGgregatus itaque Religiosorum consortio Joannes, ùt vidit, votum suum, quo se Augustissimæ cœlorum Imperatrici Mariæ obstrinxerat, felicibûs auspiciîs ad portum pervenisse, impendiò gavisus est. Sed ne vacuum duntaxat Religiosi nomen appetivisse videretur, angelicam quamdam vitæ rationem instituit, idque tantò propensiùs, quòd ipsæ

ipſæ etiam auſteritates vitæ Religioſæ, miſeriis ſtatûs militaris collatæ (quas ille brevi licèt tempore, ad nauſeam tamen usque devoraverat) ei dulces viſæ ſint, & jucundæ. Vidit hoc, & invidit coluber ille tortuoſus, cujus invidiâ mors intravit in orbem terrarum, unde etiam nullum non movit lapidem, ut recentem hunc tyronem à virtutum ſtudio retraheret, eúmque variîs tentationibûs ad deponendam veſtem Religioſam induceret. Suggeſſit illi proinde, eum æquè potuiſſe voto ſuo ſatisfacere, ſi Ordini Melitenſi nomen dediſſet, ac parentes ſuos, quibus id unicè in deſideriis erat, hac ratione exhilarâſſet, quàm aſperum hoc, & tetricum vitæ genus amplectendo. Huic tentationi accedebant multæ, gravésque infirmitates, inde procul dubio ortæ, quòd, factô in caſtris regiis ſanitatis naufragiô, nondum ad incolumitatis litus enataverit, ut proinde aliud fieri nequiverit, quàm ut novîs identidem ſymptomatum vorticí-

ticibûs urgeretur, & collideretur. Utrumque malum tantis auctum fuit incrementîs, ùt crebriùs vespere, dum decumberet, se ad diluculum sequentis diei victurum desperaret. Duplex igitur ei conflictus subeundus fuit corporis nimirum, & animæ, quorum primum continui morbi (quos ille nemini aperire præsumpsit, veritus, ne propter illos è sacra Religione dimitteretur) validissimîs ictibûs arietabant, animam verò stygii hostes perpetuîs perniciosissimarum suggestionum spiculîs infestabant. Vicit tandem excelsô prorsùs animô utrumque certamen, & decursô patientissimè Novitiatûs stadiô ad solemnem professionem admissus est.

Ergo, ut desideriorum suorum metam attigisse tandem conspexit, dici vix potest, quàm tenero liquidissimæ voluptatis sensu perfusus fuerit, adeo ut paradisi delicias se ex parte degustare arbitraretur. Altera die post nuncupata vota Religiosa

sa Magistrum Novitiorum adiit, eidémque multesimas illas ærumnas, quibûs per decursum sui tyrocinii conflictatus fuerat, candidè manifestavit. Ille, ùt audivit, quàm amarum tribulationis calicem adolescens iste exhauserit, adamantinam ejus patientiam majorem in modum est admiratus, Deóque ex toto corde gratias persolvit ob invictam constantiam, qua eum armaverat. Protinùs itaque convocatîs medicîs actum fuit, ut amissæ valetudini quàm celerrimè restitueretur. Hanc ille etiam elapsîs aliquot mensibûs integrè recuperavit. Quo tempore alii Religiosi ejusdem Conventûs eum certatim suîs obsequiîs foverunt, quòd ex tam illustribus principiis haud obscurè divinarent, ad quantam olim sanctitatem esset eluctaturus, neque sua sunt opinione decepti; ille siquidem recepta corporis sospitate tam pernicibûs pedibûs in via virtutum progressus est, ut omnes suâ modestiâ, silentiô, humili-

tate, vitæ austeritate, ac multiplici pœnitentæ rigore admiratione absorptos reliquerit.

Cùm autem Superiores tam maturos mores & tam conspicuum solidarum virtutum apparatum in hoc juvene læti suspicerent, eum, priusquàm addiscendis litteris altioribus admoveretur, in patrium solum remittere decreverunt, ut sua ope, & præsentiâ afferendæ, & stabiliendæ novæ fundationi in oppido Alcazarino magnum momentum adferret; hic nâmque Conventus tantîs laboribûs, & sudoribûs à S. Religione acquisitus fuit, quantîs vix alius quisquam. Totis novem annîs persecutionum, & contradictionum tempestas nunquam remisso furore desæviit, neque unquam fortassis conquievisset, nisi Elisabetha Borbonia, Regina Hispaniæ, eam sui numinis jubare serenâsset, quæ SSS. Trinitati vovit, se fundationi huic patrocinaturam, ut Philippus IV., ejúsque exercitus à peste, qua tunc affligebantur,

tur, & cujus lue Joannes noster ad amplectendum vitæ Religiosæ propositum impulsus fuerat, convalesceret, & victoriâ de hostibus reportatâ incolumis rediret.

Joannes ad tam laboriosam spartam destinatus hilarî animô eò profectus est cum P. Fr. Francisco à Conceptione, Atlante illo, qui suîs humerîs immanem molem sexcentarum oppositionum, & adversitatum sustentavit. In hac occasione eluxit in nostro Joanne mirificum quoddam propter DEum patiendi desiderium, & inconcussa in cœpto vitæ rigore constantia. Totîs sex mensibûs non aliô usus est lectulô, quàm vetustâ quadam, & cariosâ cistâ. Humidum illud cubiculum, quod eo tempore incoluerat, spelæo brutorum erat similius, quàm decenti hominum habitaculo. Vicit tamen invictâ suâ patientiâ omnes ærumnas (hæ nàmque sunt deliciæ, & redditus illorum, qui novis monasteriis fundandis operam navant)

 quas

quas ille jucundo prorsus & exporrecto vultu perferre est solitus, celavítque non minùs sanctè, quàm prudenter totam suam inopiam, & rerum necessariarum defectum. Cuncti sanè, ad quorum aures posteà pervenit egestatis magnitudo, qua tunc temporis laboravit, non potuerunt satìs admirari succensam ejus pro Christo patiendi desiderium, utpote qui probè nôrant, quàm facilî negotiô ex his angustiis eluctari potuisset, si inopiam suam nobilissimis, & opulentis cognatis suis manifestare voluisset, quod ille tamen non fecit, veritus, ne illi nimis largè, ac effusè ejus egestati succurrerent. Quo facto pudefecit illos tepidos Religiosos, qui ob minimarum rerum defectum murmurant, communem, quàmvis honestum victum fastidiunt, ac propterea variîs diverticulîs, & erroneis anfractibûs illicita bellaria, & superfluas cupedias conquirunt, qui tamen, si in sæculo mansissent, forsitan nec dimidiam partem illarum

rum rerum habuissent, quibûs nunc in Religione fruuntur.

Elapsîs sex mensibûs inde avocatus, & addiscendis altioribus disciplinis admotus fuit: Has ille Baëzæ nusquam interrupto virtutum cursu tam perfectè combibit, ut alios condiscipulos suos multîs post se reliquerit intervallîs. Emensô tandem studiorum laboriosô stadiô ad novum monasterium in oppido Alcazar, quod devictîs, superatísque oppositionum procellîs tranquilla jam sorte gaudebat, Superiorum jussu amandatus fuit, ut suâ exemplarî vitâ, & exquisitâ doctrinâ novellam illam plantationem fulciret, & vegetaret. Ibî Joannes ardentissimum zelum suum variîs concionibûs effudit, iîsque non solùm grandem existimationem, & celebritatem recenti illi fundationi peperit, verùm etiam ingentem animarum fructum collegit.

In hoc oppido moniales ascetetrium obtinent, quod ab Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione

nomen obtinet, in quo eo tempore ſoror germana V. P. Joannis, nomine Thereſia à JEſu Maria, vitæ ſanctioris laude florebat. Ad has itaque ſacras Virgines Vir Dei diebûs profeſtîs ferventes prorſus, & ignitas conciones habuit, ſummô Monialium profectu, & emolumentô. Contigit aliquando ut hac functione peracta in limine clauſtri conſiſteret, atque à tota Communitate religioſarum virginum Officioſâ coronâ vallaretur, ad quas ille converſus ità locutus fuit: Multa ego quidem per decurſum vitæ meæ ſanctimonialium domicilia vidi, nunquam tamen deſiderium aliquod ea ingrediendi me inceſſit: Verùm hæc ſacra Domus mihi adeò arridet, ut efflictim diſcupiam in illud ſolo capite intrare. Quid Joannes hîs verbîs voluerit, tam diù obſcurum manſit, donec plurimîs evolutîs annîs ſacrum ejus caput Algeriô in Hiſpaniam deportatum, huic Parthenoni, ubi etiamnum religioſè aſſervatur, illatum fuiſſet,

ac

ac tunc demum claruit vaticinii effectus, quo priùs tamquam faceto quodam acroamate sororibus illis risum moverat.

Sacra Religio nostra attentîs tam insignibûs hujus Viri talentîs eum ad regimen Conventuum Solanensis, & Valle-rupensis promovit. Verùm ille, qui ædificium virtutum suarum super altissimum humilitatis fundamentum extruxerat, abhorrebat semper ab honorificis officiis, ac proptereà illorum administrationem nunquam ad finem perduxit, sed importunîs semper precibûs superiores tam diu fatigavit, donec missionem impetrârit, quantáque contentione multi laborant, ut dominatum super alios adipiscantur, tantâ egit Joannes, ut ab omni etiam sacro Magistratu liber esset, & absolutus. Demandatum ei deinde fuit munus Procuratoris Generalis in regìa urbe Madritensi, sed quòd etiam hæc functio ejus inclinationi, ad recollectionem, & solitudinem propensæ, adversare-
 tur,

tur, rurſus rationes invenit, quibûs illam ab humeris ſuis excuteret. Tandem Miniſter (tali nomine audiunt in noſtra Religione Superiores ſingulorum Conventuum) noſtri Collegii Complutenſis deſignatus fuit eo prorſus tempore, quo Sacer Ordo aliquot Religioſos in Mauritaniam deſtinavit, ut Captivos Chriſtianos vinculîs exſolutos priſtinæ libertati reſtituerent, eósque ex crudeli Barbarorum ſervitute eriperent. Quod, ùt Joannes noſter intellexit, enixîs precibûs ſupplicavit, ut à regiminis onere exemptus in partem hujus arduæ, & ancipitis provinciæ admitteretur, in qua flagrantiſſimæ ſuæ erga DEum, & proximos charitati integrè, perfectéque litare valeret.

CAPUT III.

Proficiſcitur cum aliis Religioſis in Mauritaniam pro Redemptione Captivorum.

ANnô milleſimô, ſexcenteſimô, ſexageſimô octavô Excalceata Re-

Religio nostra opus Redemptionis, quod ex instituto suo crebriùs jam exercuit, nova expeditione illustrare, & continuare decrevit. Fuit autem præsens Redemptio ex omni parte gloriosa, tum ob plurima pericula, quibûs est exagitata, tum ob insignia miracula, quibûs est nobilitata, cui ritè describendæ, licèt calamum omni, qua fieri potest, subtilitate acuam, eum tamen semper obtusum experiar, cùm tanta rerum, negotiorúmque multitudo, & admirandi eventus hìc occurrant. Videbatur altissimus DEus prolixô tredecim mensium spatiô servos suos purificare voluisse, utpote quos toto hoc tempore inter perpetuos timores, tremores, terrores, anxietates, ac præsentissima libertatem, & vitam amittendi discrimina, in quibus novæ semper, sibíque conjurato furore succedentes contradictionum, & persecutionum procellæ eis spem omnem fausti alicujus exitûs ademerant, versari permisit, donec suæ

Majeſtati placuiſſet, eos propitiis oculîs intueri: ut proinde afflicti Patres illi jure cum regio Vate dicere potuerint, ſe priùs per ignem, & aquam tranſiviſſe, & ſic tandem ad cupitum refrigerium perveniſſe, quàmvis ne omnes quidem patriam reviſerint, ſed unum è ſuo conſortio, Venerabilem nimirum P. Joannem, cujus res geſtas ſuccinctô calamô impræſentiarum exequimur, ſub jugo immanium barbarorum reliquerint. Hoc hamo piiſſimus DEI ſervus protinùs ineſcatus fuit. Alia officia quàmvis honorifica ſponte abdicavit, ſed quamprimùm Redemptor Captivorum deſignatus fuit, ſingularî & propenſiſſima voluntate tam periculoſum munus ſuſcepit, cujus etiam impigræ ſolertiæ tribuenda eſt feſtinata illa rerum ad tam prolixum iter neceſſariarum præparatio, ut tantò velociùs cum ſociis ſuis in Mauritaniam transmittere, ibidémque flagrantiſſima ſua pro ſolatio, & bono Captivorum Chriſtianorum pa-

patiendi desideria explere valeret, quod etiam cumulatissimè fuit consecutus.

Pro hac gloriosa, sed non minùs ærumnosa, & periculosa expeditione designavit Sacer Ordo noster ceu duces quosdam P. Fr. Michaëlem à Virgine, P. Fr. Didacum â Purificatione, ac deníque V. Patrem nostrum Joannem à Jesu Maria, Viros prorsùs insignes, & ad tantum negotium ritè perficiendum aptissimos, quibus pro necessario ministerio adjunctus fuit Fr. Joannes à S. Augustino Religiosus Laicus, in rebus Barbarorum versatissimus, & multis nobilibus Mauris familiariter notus, utpote qui jam crebriùs ob similes caussas ìn Africam trajecit.

Satagei Patres properatâ diligentiâ quidquid peculii S. Religio pro Redemptione Captivorum comparaverat, juxta obligationem sui officii studiosissimè collegerunt, quod, computatîs etiam eleemosynîs, quas liberalitas aliorum Christianorum,

&

& præcipuè pietas Regis Catholici adjecerat, ad summam octoginta millium florenorum accrevit. Hac illi pecuniâ instructi decima tertia die Maji, quæ illô annô in dominicam inciderat, Gibilterram (vulgô Gibraltar) pervenerunt, ex qua urbe Ceutam litteras miserunt ad Dominum Marchionem de Assentar, supremum in illo præsidio armorum præfectum, quibûs eum obsecrabant, ut ipsis quantocyùs commodam quamdam, & securam transfretandi rationem suggereret. Marchio ille, vir non minoris charitatis, quàm nobilitatis intellecta Patrum voluntate noluit grande hoc gaudium, quod ex tam auspicato nuncio in omnes captivos Christianos erat redundaturum, diu comperendinare, sed eadem adhuc die, qua epistolam accepit, quàmvis aliæ curæ, quibûs occuparetur, quásque in excusationem alicujus cunctationis allegare potuisset, ei minimè deessent, duas armatas celoces Gibilterram destinavit,

vit, quibûs Patres Ceutam transportarentur.

Hîs navibûs conſcensîs vela ventis commiſerunt, & prægnantibûs carbasîs Ceutam properârunt. Verùm in ipſo ſtatim transfretationis principio magnum periculum, ceu vaticinum futurarum calamitatum præludium incurrerunt; vix enim Gibilterram ex oculis dimiſerant, dum â longe conſpecti aliquot myoparones, quos Algerinos, aut Tunetanos eſſe non dubitabant, eos coëgerunt veſtigia relegere, & ad radices montium, qui Gibilterræ imminent, in ſinuoſo maris litore, quod Hiſpani *Calas* appellitant, refugium quærere. In hoc malè tuto portu, aut potiùs rudi portûs imagine diem, & noctem inter perpetuos timores, & anguſtias transegerunt, non tam ob metum piratarum, quàm ob inſanientis pelagi effervescentem furorem, qui tantò erat impotentior, quantò ſtatio eorum ori Gaditani freti vicinior. Sedata tempeſtate itineri ſe

reſti-

reſtituerunt, celeríque, ac proſpera velificatione Ceutam appulerunt, ubi ab ipſo præſidii Gubernatore, omnibúsque tribunis, ac centurionibus inter feſtivos acclamantis populi applauſus honorificentissìmè excepti, & ambitioſo comitatu ad ipſum uſque hoſpitium, quod pro eorum receptione præparatum fuerat, deducti ſunt.

Hìc poſtquam à jactatione marini itineris, & immodico terrore, quo in hac navigatione concuſſi fuerant, nonnihil reſpirâſſent, collatîs ſtatim cum Marchione conſiliîs viam rimati ſunt, qua præfixum Redemptionis ſcopum tutiſſimè aſſequerentur; neque enim res extra periculum erat, quòd barbara illa regna cruentiſſimîs factionibûs, & bellîs inter ſe colliſa præſentiſſimum ubique diſcrimen minitarentur. Hos tumultus excitaverat immaniſſima crudelitas Regis Muley Arzis, qui ignobili matre oriundus, captivâ nimirum fœminâ, ſive mancipio patris ſui

ſui, mirâ verſutiâ fratres ſuos è throno deturbaverat, & obſtetricante fortuna Regna Fezium, Tetuanum, Marrochium, Mequinezium, & Zuſium, in ſuam ditionem redegerat, actúsque Martii furoris impetu, aut potiùs crudeliſſimi animi impulſu, eo tempore, quo Patres Redemptores Provincias illas adire conſtituerant, totus expugnationi Regni Saviæ inhiabat. Quo ille bello turpiſſimam ſuam, & deteſtabilem ingratitudinem mundo univerſo ſpectandam propoſuit, utpote qui illum regem injuſtiſſimîs armîs laceſſere eſt auſus, qui nutantes in principio res ejus pecuniâ, armîs, & militibûs ſuîs fulcivit, ut inferius latiùs viſuri ſumus. Conſonîs itaque ſuffragiîs decretum fuit, ut fecialis Tetuanum præmitteretur, qui Patribus Salvum Conductum, Regis manu firmatum, ſub certis nonnullis conditionibus reportaret, ídque hac de cauſa, quod barbari illi, quorum dominatum crudelis iſte tyrannus invaſe-

vaſerat, ejus ſævitie exulcerati omnia miſcerent, & inteſtinîs diſſidiîs inter ſe commiſſi, ipſa regni viſcera depaſcerentur.

Prima ex iſtis conditionibus hæc erat, ut aliquot ex nobilioribus, & ditioribus Mauris, antequam Patres Tetuanum concederent, tamquam obſides Ceutam transmitterentur. Altera exigebat, ut captivi, ex quibuscunque demum urbibus Imperii Marrochiani â Patribus empti fuiſſent, non alibi tamen quàm ſub portîs Ceutæ (ùt ſemper hactenùs fieri conſueverat) ſolverentur. Hæ conditiones, ſi â rege ſubſcriptæ, & executioni mandatæ fuiſſent, procul dubio Patres Redemptores, & pauperes captivi Chriſtiani omnes calamitates, tribulationes, & ærumnas evaſiſſent, quibus posteà miſerrimè ſunt conflictati. Verùm enim verò barbarus ille, ac inſolentiſſimus tyrannus has, licèt rationales, & prudentiſſimas conditiones eſt averſatus, dixîtque, cuivis Regi pro-

probrosum esse, si ab eo major securitas flagitaretur, quàm regii verbi inviolabilis authoritas. Significavit proinde Patribus, oblatas conditiones sibi esse prorsùs exosas, pollicitus est tamen verbô suô regiô, se Patribus omnem securitatem præstiturum, neque permissurum, ut à quolibet subditorum suorum læderentur, aut indignîs modîs tractarentur. Addidit præterea Captivos non Ceutæ, sed in illis ipsis locis, in quibus ementur, solvendos esse. Quid hìc agerent boni Patres? Si barbara illa regna in tanta bellorum tempestate ingrederentur, seséque manibus perfidorum Maurorum absque alio securitatis vadimonio, quàm sponsione regii verbi committerent, haud immeritò verebantur, ne simul pecuniæ, libertatis, aut etiam vitæ jacturam incurrerent. Si ab ingressu supersederent, & ne tentatâ quidem Redemptionis aleâ in Hispaniam remearent, rursus metuebant, ne tale factum non prudentiæ, sed

 pusil-

pusillanimitati, & ignaviæ adscriberetur. Potissimùm verò angebantur, ne afflicti captivi, quos præ foribus instans Redemptio solabatur, hac spe dejecti, animos desponderent, & imbecilliores malorum intolerantiâ superati, etiam à fide Christiana deficerent. Mauritaniam verò intrare, & regis jussa ad minimum usque apicem non implere, nihil fuisset aliud, quàm totum negotium pessúmdare; barbari námque reges illi neglectum minimorum etiam mandatorum suorum crimen arbitrantur, sola morte piandum.

Ergo dum ità sacrum inter, & saxum hærent, placuit eis tandem non totum peculium discrimini exponere, sed solas personas suas, & vitas, quas læti, lubentésque pro majori Dei gloria, & pauperum captivorum subsidio sacrificavissent, superventuris calamitatibus, ærumnis, & miseriis objicere. Non illos ab hoc proposito deterrere poterant recentissimi nuncii, à quibus tragica prorsus extre-

mæ crudelitatis exempla referebantur, quæ truculentus ille, & sanguivomus princeps ediderat, utpote qui ab humana natura degenerans insatiabili quadam, & belluina orexi cædes duntaxat, & cruorem sitiebat, quam ille etiam quotidianis funeribûs non solùm captivorum Christianorum, quorum sanguini tantum non innatabat, verùm etiam Maurorum, imò & consanguineorum, agnatorúmque suorum largè explebat. Omnia tamen ista, quàmvis ex vero dicta fuisse Patres non ignorarent, efficere nequiverunt, ut magnanimi hi, & imperterriti Christi athletæ in contrariam sententiam deflecterent; eos námque ad formidabilem hanc provinciam tentandam incitabat, non pruritus honoris proprii, sed ardentissimum quoddam desiderium Divinam gloriam propagandi, & Captivos Christianos in libertatem asserendi.

Ut autem tutiùs in hoc ancipiti negotio procederent, statuerunt non

totam ſecum pecuniam in barbaras illas terras aſportare, ſed maxima ejus parte Ceutæ relicta, tantùm duntaxat ſecum aſſumere, quantum primis ſumptibus expugnandis ſufficere videbatur. Hac intentione Præſidii Gubernatori aperta concluſum fuit, ut ſequenti die, qua ſe in viam dare decreverant, ſolemne Sacrum de SSS. Trinitate in Eccleſia RR. PP. Trinitariorum Calceatorum, qui eo tempore Ceutæ domicilium obtinuerant, in quod poſtea nos Excalceati ſucceſſimus, decantaretur, & communibûs precibûs Deus exoraretur, quatenus ferocia Maurorum corda emollire, pauperibus captivis conſtantiam in fide Catholica largiri, & præſentem Redemptionem felici ſucceſſu coronare dignaretur.

Præſtituta die ſacrum illud Miſſæ ſacrificium à ſuprádictis RR. PP. Trinitariis Calceatis ſolemni ritu celebratum fuit, cui præter urbis Gubernatorem, & officiales præſidiariorum

rum militum, etiam Decanus cum toto Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, atque cum istis universa nobilitas civitatis illius interfuit. Hi omnes corde, & ore preces, ac vota pro incolumitate Patrum Redemptorum, qui in medio eorum constituti erant, nuncupabant. Finitâ Missâ, & absolutîs cunctîs orationibûs, quæ in similibus occasionibus usurpari solent, Patres Redemptores honoratissimæ illi concioni officiosissimè valedixerunt, & eodem adhuc die iter suum auspicati fuerunt, præmisso tamen priùs caduceatore, qui Gubernatori Tetuano significaret, Patres verbo regio confisos absque alio commeatu Tetuanum concessuros.

CAPUT IV.

Perveniunt Tetuanum, & jubentur Fezium ad Regem proficisci.

SEptimâ Junii, quæ eo anno incidit in diem Jovis, Patres Redemptores Ceutâ egressi eadem die Tetuanum tenuerunt, ubi à Guber-

bernatore urbis comiter excepti, ejúsque juſſu ad hoſpitium pro ipſis antea jam præparatum, deducti fuerunt. Hac civilitate Gubernatoris Patres mirè exhilarati ſpe ſibi pollicebantur minimè dubia, ſe absque ullo impedimento Redemptionem Captivorum exorſuros, eámque paulò poſt fauſta coronide terminaturos eſſe. Sed quemadmodùm crebriùs fulgenti, roſeúmque ſuûm jubar lætè ſpargenti auroræ inexpectata quædam tempeſtas è veſtigio ſuccedit, quæ purpuream ejus claritatem intercipit, totúmque cœlum atra caligine involvit, ità & hoc præmaturum Patrum gaudium poſt breve tempus obſcura triſtitiæ nube obductum fuit; nam cùm elapsis ab eorum adventu tribûs diebûs Gubernatorem acceſſiſſent, atque ab eo copiam inchoandæ Redemptionis flagitâſſent, ſimúlque, ut eam tantò promptiùs impetrarent, ſeſe obtuliſſent ad illos captivos, qui ejus poteſtati ſubjecti erant, antè alios

alios redimendos, inopinatam repulſam tulerunt.

Gubernator enim, vultu ad compaſſionem compoſito, reſpondit, id ſibi integrum non eſſe; ajebat enim, ſe peculiarî regis ſui mandatô obſtrictum fuiſſe, ut Patres antè initium Redemptionis Fezium transmitteret, rationem ibi reddituros omnium rerum, quas ſecum attulerant. Gubernator quidem genuinam cauſam illis tunc aperire nolebat, qua rex inductus fuit, ut ipſis tam moleſtum iter imperaret: Hanc illi tamen poſtea Fezii didicerunt, ubi certîs relationibûs compererunt, quemdam è præcipuis Mauris Tetuanis, ut gratiam regis aucuparetur, ei ſcripſiſſe, quòd Patres Redemptores varia cimelia, gemmásque pretioſas ſecum portaverint, quarum obtinendarum cupiditate tyrannus mirè flagrabat. Sed calumnia hæc fuit longè malevolentiſſima, cùm Patres nihil aliud ex Hiſpania ſecum attulerint, quàm pauculos quoſdam uniones, & ſma-

ragdum eleganti toreumati affabrè insertum, quem illi, ut vetusto more receptum erat, regi pro obtinenda licentia captivos redimendi donare decreverunt. Aliud verò nihil secum habebant præter lytrum captivorum redemptioni deputatum.

Hoc insperatô Gubernatoris responsô perculsi Patres jam tunc sibi scævum successum, & benè longam calamitatum seriem sunt vaticinati. Neque frivola fuit eorum opinio; hoc námque iter Fezianum fons extitit, capútque omnium illarum ærumnarum, & tribulationum, quibûs postea tantùm non oppressi, & extincti fuerunt, ut ex subsequenti narratione clarissimè elucescet. Cùm itaque prolixè agnoscerent, fieri non posse, ut Gubernatoris jussa tergiversando declinarent, & hoc adeò molestum, periculosum, & ultra centum milliaria protensum iter effugerent, necessitatem in virtutem converterunt. V. Pater noster Joannes primus erat, qui se spon-

tè ad hanc laboriosam, & ancipitem spartam subeundam obtulerat, quam & reapse est ingressus cum P. Didaco à Purificatione, & Fr. Joanne à S. Augustino; nam P. Michaël à Virgine ob decrepitam senectutem, & attritas corporis vires tanto itineri minimè suffecturus videbatur. Venerabilis iste Dei servus septies in Africam pro redemptione captivorum transmiserat; ætatémque suam ad nonaginta usque annos produxerat.

Quantas verò miserias, & ærumnas hi religiosi viatores in tam prolixo itinere exantlaverint, non, mihi si linguæ centum sint, oráque centum, ferrea vox quàmvis, satis enarrare possem; licèt enim hoc iter, ùt diximus, centum milliaria superaverit, illud tamen spatiò sex dierum confecerunt, utpote qui decimâ quartâ Junii, die Jovis Tetuanô in societate quinque Maurorum, quorum curæ eos Gubernator commiserat, excesserunt, & decimâ no-

nâ ejusdem mensis, die Martis Fezium sub vesperam sunt ingressi. Modus, quem in hac peregrinatione servârunt, talis erat: Summô diluculô equos conscenderunt, in quibus tota die, imò & duabûs horîs in seram noctem hærentes cæptum viæ cursum tenuerunt; hac námque ratione Mauri itinera sua emetiri solent. Aliorum nunc esto judicium, & præcipuè illorum, qui & ipsi aspera itinera peragrârunt, quantas ærumnas, & afflictiones Patres isti in hac salebrosa via, in ferventissimo æstu mensis Junii, in tam calida regione, qualem Africam esse nemo ignorat, in tam longis diebus, per loca adeò deserta, inculta, & arenosa, & in jugi equorum succussu sustinuerint. Gravissimè tamen eis accidebat, quòd sæpe per decursum multorum milliarium, imò & dierum, ne guttulam quidem aquæ offenderint, qua exæstuantem solis ardorem, quo immaniter torrebantur, modicè saltèm lenirent.

Hac

Hac methodo poſtquàm totam diem, duásque noctis horas in itinere transegiſſent, tandem in proximè obvio loco, ubi tenebræ eos oppreſſerant, & ulteriùs procedere vetuerant, tentorium quoddam erexerunt, in quo reliquum noctis traducerent. Verùm & hæc exigua quies ſuîs non carebat periculîs, nam unde defatigatorum membrorum ſuorum levamen præſtolabantur, inde novarum moleſtiarum, & terrorum copioſa eis ſeges enata fuit; cùm enim ſub illo tentorio humi conſediſſent, ut fractas ab itinere vires modico quodam cibo reſtaurarent, non ſinè ſtupore obſervârunt, Mauros ſepoſitîs omnibûs aliîs occupationibûs in id unicum eſſe intentos, ut magnam lapidum vim coacervarent. Admirati Patres tam inutilem, & inopportunam, ùt eis videbatur, Maurorum ſolicitudinem, ex interprete ſuo ſunt ſciſcitati, quid ſibi tam ingens lapidum cumulus velit? Quibus ille reſpondit:

Mau-

Mauritaniam esse multorum, ferocissimorúmque leonum matrem, quibus solemne est, nocturnîs grassationibûs tentoria viatorum invadere, & equos, aliáque animalia, quæ invenerint, rapidîs dentibûs discerpere, ac ligurire, illis autem abigendis non aliud medium æquè efficax suppetere, quàm multos lapides colligere, eósque animadverso leonum adventu fortiter inter se collidere, aut in eum locum, ubi hæ bestiæ versari putantur, jactare, ut eorum fragore exterritæ in fugam se conjiciant.

Timidis Patribus hæc relatio à principio satìs erat suspecta, credebántque barbaris illis, ceu juratissimis Christianorum hostibus propositum esse, se ab illîs hac arte ludificari, ut hoc timore correpti post malam diem deteriorem noctem experirentur. Citò tamen rei veritatem edocti fuerunt; cùm enim sumptâ cœnulâ sese ad brevem quemdam somnum comparâssent, quem eis præceden-

tis diei labores imperaverant, audierunt ex inopino equos terribilem in modum hinnire, ungulîs terram pulsare, tantúmque furorem præseferre, ac si ruptîs lorîs omnes uno impetu aufugere conarentur: Impendiò itaque admirati sunt, unde tam intempestivus equorum tumultus subortus fuisset. Mauri autem, quibus causa hujus rei non erat obscura, illicò stentoreîs vocibûs exclamare, silices inter se collidere, eósque totîs viribûs contra leones vibrare cœperunt. Atque sic tandem agnoverunt Patres, vera fuisse, quæ sibi ab interprete de nocturna leonum grassatione dicta fuerant, præcipuè, cùm immanes rugitus territorum, & in fugam actorum leonum suîs auribûs excepissent, queîs haud vulgariter terrefacti fuêre.

Paululùm ab hoc terrore respirârunt, dum novo clamore, collisorúmque lapidum fragore excitati, & in veritate de leonum incursu confirmati sunt; tribus námque, si-

ve

ve quatuor ab eorum tentorio ſtadiîs nobilis quidam Maurus, Mahomet Benzuda dictus, qui posteà Patribus in ſumma eorum afflictione Tetuani prolixè favit, caſtrametatus fuerat, quia in illo loco nox eum oppreſſerat; huic leones à tentorio Patrum abacti, haud mediocre negotium faceſſiverunt, rabidóque aſſultu ex ejus jumentis ſibi gratuitas dapes parare nitebantur, ut proinde eis profligandis magno clamore, & ſonoro valde lapidum ſtrepitu opus fuerit. Et profectô grande DEUS mortalibus beneficium præſtitit, quod equis, aliísque jumentis eam ſagacitatem indiderit, ut leones etiam à longe adventantes præſentiant, ſuóque hinnitu, & tumultu prodant, cujus operâ homines à ſomno excitantur, & in leones armantur. Quod niſi fieret, omnes procul dubio ab hiſce carnivoris belluis laniarentur.

Hæc erat nocturna quies V. P. N. Joannis, ejúsque ſociorum poſt quotidia-

tidianam ſedecim, aut ſeptemdecim milliarium peragrationem. Huic non inferioris notæ malum acceſſerat, quòd nimirum Maurus ille, quo hactenus tamquam interprete uſi fuerunt, eos poſt biduum deſeruerit, & in comitatum ſupradicti Mahomet Benzudæ conceſſerit. Remanſerunt itaque miſeri, & Mauritanæ linguæ ignari Patres in manibus illorum Maurorum, quos à principio ſecum Tetuanô eduxerant, quorum idioma neque Patres calluerunt, neque iſti Patrum Redemptorum linguam intellexerunt. Cùm verò Mauri cum lacte materno lethale adversùs Chriſtianos odium ſugant, datâ operâ deſolatis Patribus multas afflictiones, & moleſtias intulerunt, eáſque linguæ ignorantiâ excusârunt. Scilicet non dantur deteriores ſurdi, quàm qui audire nolunt, nec craſſiores rupicones, quàm qui ignorantiam in velamen ſuæ malitiæ prætendunt.

Non minoris diſcriminis aleam ſubi-

ſubire coacti ſunt, in trajectu trium profundorum fluviorum; modus enim, quo illos superârunt, erat multò periculoſiſſimus, unde etiam in transmiſſione cujuslibet fluminis ſingulari diſpoſitione ſe ſemper ad mortem præparârunt. Methodus autem hujus transvectionis talis erat: Mauri extemporaneâ texturâ obvios juncos in corbem plectebant, cui deinde Patres imponebant. Quo facto unus ex Mauris undas inſiliebat, agilíque natatu corbem remulco alligatum poſt ſe trahebat: alter autem in litore conſiſtens rudentem, huic corbi itidem alligatum, in manibus tenebat, eúmque ſocio ſuo remulcanti, quantum ſatis eſſe videbatur, ſenſim laxabat. Atque hac ratione vaſta illa flumina trajecerunt, perpetuo timore ſuſpenſi, ne aut levidenſis hæc navicula aquarum impetu diſſolveretur, aut ruptîs remulcîs ipſi cum corbe inter undarum vortices ſepelirentur. Hac transvectione peracta reliqui Mauri cum equis

equis flumina tranârunt, quos ùt Patres conſcenderunt, extemplò rurſus absque ulla mora ſeſe itineri dederunt.

CAPUT V.

Fezium appulſi officiosè excipiuntur, ſed inde protinùs Saviam amandantur.

TOt laboribûs, & ærumnîs exhauſti Patres ſalvi tandem, & incolumes Fezium pervenerunt, ídque 19. Junii, die Martis, quartâ poſt meridiem horâ. Ubi fama de eorum adventu percrebuit, tanta commotio in hac populoſa urbe exorta eſt, ut tota penè civitas ſe extra portas effuderit, rarum terris illis ſpectaculum viſura. Ipſi autem non ſunt civitatem ingreſſi, ſed ex mandato Pro-Regis in ſuburbium quoddam deducti, ſolis Judæorum habitationibus deputatum, quod tamen unius duntaxat muri intergeriô ab urbe diſpeſcitur. Defatigati qui-

 dem,

dem, sed tamen felici itineris successu exhilarati Patres SSS. Trinitati plurimas pro tanto beneficio grates exsolverunt, rati, se nunc in portu navigare, omnésque res suas jam esse in vado; nec quidquam aliud restare, quàm ut salutationis officiîs apud Pro-Regem perfuncti illicò Redemptioni Captivorum manum admoverent, cujus rei gratiâ tam prolixum iter susceperant. Equidem spes illorum bona est cumprimìs, vereor tamen, ut successus eorum expectationi respondeat.

Captivi Christiani, qui in ea urbe detinebantur, ubi intellexerunt Patres Redemptores advenisse, & in suburbio Judæorum hospitium nactos fuisse, gaudiô offertissimi accurrerunt, ut eos viderent, firmiter persuasi, se eorum operâ proximè in desideratissimam libertatem assertum iri. Erat sanè miserandum, & compassione dignum spectaculum videre homines istos macie exhaustos, colore pallidos, barbâ intonsos, cri-

nibûs

nibûs impexos, pedibûs excalceatos, veste laceros, & gravissimo catenarum pondere impeditos, quos ductores, veriùs dixerim, carnifices eorum, plagîs, & verberibûs impactîs ad ambulandum compellebant, eo prorsus modo, quo laniones gregem aliquem pedulcorum caprorum, aut grunnientium porcorum impescere solent. Conspecta tam enormi pauperum captivorum calamitate Patres Redemptores in tenerrimas lacrymas resoluti fuerunt, præcipuè tamen V. P. N. Joannes, qui cùm vidisset, miseros illos tam inhumanîs, & indignîs modîs haberi, compassionis impetu abreptus, inter profusos ubertim lacrymarum rivulos, propiùs illos accessit, eorúmque catenas, quibûs gravabantur, blandè levavit, afflictósque solatus, jussit meliora sperare, celerem Redemptionem pollicitus. Hœc tamen charitatis signa adeò ei non fuerunt impunia, ut etiam crebrioribûs ictibûs à Mauris vapulârit.
 Per-

Percontanti deinde, quid causæ esset, quòd captivi tam crudeliter tractarentur, tantâque curâ, & rigore custodirentur, cùm tamen illi in umbilico regni constituti ne prudentem quidem tentandæ fugæ suspicionem excitare possent, responsum fuit, id ex regis imperio fieri, qui mandârat, ut omnes captivi Christiani catenîs vincirentur, ad quod sanciendum impulsus fuit partim nativa sua crudelitate, & hæreditariô erga Christianos odiô, partim metu, ne, si captivi (qui numerô multi erant, & animô bellicosi) sinè vinculis incederent, ad regem Bembucar, quem tyrannus ille eo tempore per summum nefas regnô spoliaverat, deficerent magnum ejus rebus momentum allaturi, quòd bellicîs artibûs instructissimi, facilè lapsantem fortunam ejus fulcire, aut erigere posse crederentur. Pii itaque, & charitate flammidi Patres dederunt operam, ut miseros illos, & afflictos homines pro viribus solarentur, quos denique spe im-

imminentis Redemptionis suæ erectos ad prolongatum eorum martyrium remiserunt.

Illîs temporibûs Imperium Fezianum sub nomine Pro-Regis administrabat Muley Arran germanus frater Regis Muley Arzis, qui, cùm de adventu Patrum certior factus fuisset, protinùs sex arietes, diversos fructus illarum regionum, ac denique nonaginta florenos in parva, & usuali moneta pro congiario illis transmisit. Isti autem, quibus nihil magìs in votis erat, quàm ut celerî subsidiô afflictis captivis subvenirent, altera statim die, vigesima scilicet mensis Junii, quin vel tantillum ab ærumnis, in tam laborioso itinere exantlatis, respirâssent, hunc Principem adiêrunt, atque ab eodem enixîs precibûs licentiam inchoandæ Redemptionis efflagitârunt, quam se tantò faciliùs consecuturos arbitrabantur, quantò illi promptiùs ex regis mandato Tetuanô Fezium commigrâssent. Pro-Rex autem, quàmvis illos blan-

 dè

dè admodùm, comitérque excepisset, monuit tamen, regis fratris sui non eam voluntatem fuisse, ut Fezium duntaxat accederent, sed ut ejus præsentiam, vultúmque subirent. Necessarium proinde fore, ut se novo itineri accingerent, & Saviam proficiscerentur, ubi rex eo tempore cum exercitu versabatur, qui de rebus summi momenti cum eis esset collocuturus. Scirent proinde, hoc iter esse inevitabile, sibi námque incumbere regis, & fratris sui jussa ad ultimum apicem exhaurire.

Tam inexpectata denunciatione consternati Patres anxiè deliberare cœperunt, quid factu opus esset. Videbant novum, & ultra sexaginta milliaria protensum iter præ foribus instare. Videbant se hac ratione quotidie profundiùs Africæ immersum iri, metuebántque versipelli Maurorum vafritie in tam remotis, & dissitis plagis sibi casses parari, quibûs irretiti ægrè, ac fortassis non aliter, quàm cum jactura totius peculii

culii ſui eſſent eluctaturi. Videbant pariter hanc peregrinationem multò majoribus difficultatibus fore obnoxiam, quàm priorem, cùm non ignorarent, gentes nunc ſibi longè ferociores adeundas eſſe, eóque transmigrandum, ubi totum examen immanium illorum prædonum, & inhumanorum latronum, qui tyranni ſigna ſequebantur, conſediſſet. Sacrum itaque inter, & ſaxum hærebant, nec quid agerent, aut in quam partem ſe inclinarent, diſpicere poterant; dum ecce tibi! poſt tres dies nempe 24. Junii adſunt ex improviſo quatuor Mauri, qui hoſpitium eorum ingreſſi nunciabant, Pro-Regem mandâſſe, ut craſtina die in viam ſe darent, ſe quoque tempeſtivè cum equis, aliíſque rebus ad iter neceſſariis adfuturos, ut eos Saviam deducerent: darent proinde operam, ut eos cras ſummo mane ad iter paratos invenirent.

Hôc mandatô auditô Patres ſupervacaneum eſſe crediderunt tempus inutili

utili deliberatione ulteriùs terere. Obfirmatô itaque contra omnia adversa, quæ sibi superventura timebant, animô sese totos Divinæ Providentiæ commiserunt, relicto tamen Fratre Joanne à S. Augustino in urbe illa, qui gravi infirmitate ex prævii itineris molestiis contracta, de vita periclitabatur, quàmvis & ipse recuperatîs utcúnque viribûs eos altero statim die subsecutus fuerit, veritus, ne desolati Patres nimio mœrore conficerentur; sciebat enim illos nunc solos, suóque ministeriô destitutos in manibus crudelissimorum barbarorum versari, ac prætereà de sua infirmitate anxios semper, & solicitos fore, ut proinde satiùs duxerit confirmata nonnihil valetudine eorum vestigia premere, quàm Patribûs in tanta tristitia derelictîs curando corpori diutiùs indulgere. Hîs ille cogitationibûs impulsus statuit præcipitato itinere Patres in via assequi, quod licèt ei ex sententia non cesserit, quia Patres illum longè præ-
ver-

verterant, eos tamen Saviæ eſt aſſecutus, quibus deinceps etiam conſtanter adhæſit.

CAPUT VI.

Epitome rerum, à rege Muley Arzis geſtarum, usque ad illa tempora, quibus Patres noſtri ad eum pervenerunt.

UT verò, tantò cumulatiùs intelligatur, quid Patres Redemptores in hoc itinere paſſi fuerint, quibúsque ærumnis poſtea ſint conflictati, operæ pretium fore puto, ſi ſuccinctô calamô vitam regis Muley Arzis ab ipſa origine deſcripſero, & bella illa ſingillatim recenſuero, quibus tunc implicitus fuit, quando Patres noſtri ad eum contenderunt. Hic itaque tyrannus filius fuit alterius cujusdam Muley Regis Taffiletæ, qui opum magnitudine, & imperii amplitudine omnes Reges Mauritaniæ, & Numidiæ transcenderat, aut certè æquaverat. Hoc genitore procreatus fuit Muleyus noſter,

 ma-

matre tamen longè inferioris conditionis, vilî nimirum, & nigrâ ancillâ, patris sui mancipiô. Hæc genitricis ignobilitas causa fuit, ut & ipse quoque Muleyus contemptui haberetur, atque ab omnibus dignitatum subselliis excluderetur. Mortuo patre rerum summa transivit ad filium ejus natu majorem, cujus vitæ, & imperio Muleyus iste, superbiæ, & ambitionis œstrô percitus, clandestinîs machinationibûs insidiabatur, quibûs tandem in lucem productîs, dignam nefandis ausibus suis pœnam recepit ad perpetuos carceres condemnatus. Existimaverat quidem frater ejus, satis nunc suæ & vitæ, & dignitati esse consultum turbulento, & factioso hoc capite in obscurum, & horridum ergastulum conjecto, sed quantum sit hallucinatus, sequentium temporum eventus prodiderunt; Muley enim ingeniô sagax, & manu promptus vias invenit, queîs post sexennium ê tam ingrato diversorio eluctaretur,

& ad Mahometem Bembucar, præpotentem Saviæ regem, & virum in opinione omnium Mahometanorum ſanctum aufugeret, cujus ille protectionem, ac patrocinium imploravit.

Incautus rex ille, ignarus nimirum, quanti res ſit periculi ova aſpidum in ſinu ſuo fovere, hunc venenatum ſcorpionem, ſibi, innumeríſque aliis hominibus exitio futurum, benevolè excepit, armîs, pecuniîs, & militibûs inſtruxit, eúmque eſt exhortatus, ut bellicæ fortunæ aleam tentaret, magnósque ſuos ſpiritus in regna Occidentalis Africæ effunderet, quæ eo tempore impotenti Principum ſuorum dominatu premebantur. Nec opus erat aliô choraulâ, qui eum, ut quondam magnum illum Julium, ad prælia inflammaret; hac námque cohortatione incenſus, & naturali ſua ad cædes, pugnáſque inclinatione ſtimulatus protinùs acies eduxit, totóque impetu in regnum Fezianum converſo, illud

illud ante omnia expugnare constituit. Et ab initio quidem non statim justîs præliîs cum rege Feziano congressus est, sed grassatorum duntaxat, & latronum more, incertîs excursionibûs terram depopulabatur, oppida, pagósque succendebat, urbes vastabat, tantáque crudelitate in obvios quosque bacchabatur, ut terror, & fama nominis ejus vicinas latè provincias compleret, cruentissimíque tyranni immanitas per omnium passim ora volitaret. Hac fama illecti plures ejusdem farinæ socii, quibus volupe erat humano sanguini innatare, & alieno adipe proprium abdomen saginare, certatim ad eum convolârunt, sub illius ductu, & auspiciis militaturi, aut potiùs latrocinaturi. Muleyus autem, cùm videret, se tantam hominum multitudinem non aliter nisi solîs rapinîs sustentare posse, veritúsque, ne si materia prædæ deficeret, ipsi quoque ab eo diffluerent, se regem Fezianum proclamari jussit, ut hac

ra-

ratione urbes, & oppida illius regni in ſuam ditionem redigeret, quod ei perfacilè fuit non tam ob ingentem, qua vallabatur, militum copiam, quàm ob immanem terrorem, quem omnibus incuſſerat.

Expugnatô tam opulentô, & potente regnô frenos ſuæ crudelitati laxavit, ut indigenas, quibus violentum imperium ſuum parùm gratum eſſe non dubitabat, tormentorum metu in officio contineret, & ſuppliciorum terrifico apparatu magnam ſibi authoritatem conciliaret. Hoc proſpero rerum ſucceſſu elatus, nec dominatu tam inſignis regni contentus ad ampliora animum extendit, & Tetuanum ſuæ poteſtati ſubjicere aggreſſus eſt. Huic urbi eo tempore jura dabat Gailan, vir bellicoſus, & inter Mauros valdè honoratus, qui tamen tyranno caſtra opponere non eſt auſus, ſed furore hujus barbari exterritus, qui ad inſtar furiæ infernalis obvia quæque perrupit, ac diſſipavit, tumultua-

tuariâ fugâ Tetuanum deseruit, munitissimóque præsidio, Arcila dicto, se, suásque opes omnes inclusit, ex quo integrô fermè bienniô Muleyo fortissimè restitit. Sed cùm animadverteret, fieri non posse, ut tam validis copiis, earúmque repetitis assultibus diutiùs reluctaretur, tandem consiliô à necessitate petitô, urbem tradidit, séque simul manibus illius truculentæ belluæ commisit; sed infelici prorsus successu, utpote qui ibi exitium suum invenit, ubi salutem suam quæsiêrat; tyrannus enim nihil hac spontanea deditione emollitus, eum lentîs, & immanissimîs tormentîs vitâ privavit.

Hoc novô regnô liguritô tyrannus aliquantulùm pacatiùs agere cœpit, non tamen diutiùs, quàm opus erat, ut thronum suum inconcussîs basibûs stabiliret. Urbes itaque, & munitiora præsidia illorum gubernio concredidit, quos, longâ experientiâ edoctus, sibi fidelissimos, & in crudelitate simillimos esse nôrat. Ad-

jecit

jecit deinde animum ad novas leges condendas, quarum leviſſimam transgreſſionem atrociſſimîs pœnîs eſt ultus, ut terror nominis ſui tantò latiùs ſubjectas provincias pervagaretur. Hîs rebûs ex animi ſententia abſolutîs, tandem totas imperii ſui vires collegit, eáſque contra regem Saviæ, Mahometem nimirum Bembucar, à quo tanta beneficia acceperat, ingratiſſimô animô convertit. Prius tamen titulum Imperatoris ſibi arrogavit, ac deinde poſt ſubjugata, & integrè debellata Regna Marrochii, & Mequinii, numeroſiſſimo, illíſque terris nunquam hactenus viſo exercitu præfatum Regnum Saviæ eſt aggreſſus. Et ille quidem totum mundum ſibi expugnaturus videbatur, non ſolùm barbarâ ſuâ arrogantiâ, & prociâ, qua communem mortalium ſortem dudum antegreſſus fuerat, verùm etiam incredibili militum multitudine, quos ad hoc cruentum bellum armaverat; exercitus enim ejus adeò excreverat, ut
in

in eo ducenta, & quinquaginta peditum millia inventa fuerint, præter alia triginta millia nigrorum, sive Æthiopum, frameîs & lanceîs instructorum, qui agmen præcedebant, & ante se duo millia catenîs inter se connexorum camelorum agebant. His accedebant sexaginta millia equitum, majori de parte ex Mauris conflatorum, ut proinde numerus militum ejus trecenta, & quadraginta millia superaverit, quibus si addideris promiscuam calonum, lixarum, aliorúmque servorum turbam, infinitum propemodùm numerum conficies.

Tam insolente belli apparatu, & horrisono armorum tumultu præpotentem illum regem adeò perculit, ut eum sui vix satìs compotem reliquerit. Equidem ille nihil non egit, ut hanc pestem â regni sui finibus arceret, casso tamen eventu laboravit; licèt enim amplissimîs copiîs conscriptîs ei castra opposuerit, & consertô præliô binîs vicibûs de

re-

rerum ſumma cum eo acerrimè dimicaverit, novercantis tamen ſemper fortunæ faciem expertus, non ſolùm victoriam amiſit, ſed & vivus in poteſtatem hujus tyranni devolutus fuit, qui immemor omnium beneficiorum, quæ ab hoc rege quondam acceperat, eadem crudelitate, iisdémque ſuppliciis miſerum illum è vita exturbavit, queîs juratiſſimos, & infenſiſſimos ſuos adverſarios è medio tollere conſueverat. Horridum ſanè, & immane facinus, dum etiam ferociſſimi leones ſuis benefactoribus comes ſe, & manſuetos exhibent, ùt mundus in illo admiratus eſt, qui Andronicum ob exiguum quondam beneficium ſibi impenſum in vita conſervavit. Sublato in hunc modum infelici illo rege, & Saviâ in deditionem acceptâ, urbem vaſtavit, ejúsque potiorem partem Vulcano conſecravit, ac deinde recreato tantiſper exercitu ſecundiſſimum victoriarum ſuarum curſum nova expugnatione Regni Zus con-

 tinua-

tinuare decrevit. Hæc ille moliebatur, quando Patres Redemptores ejus jussu Saviam profecti fuerunt, & desertas illas, ac cæsorum hominum cadaveribûs impeditas vias pererrârunt, ad quos nunc oculos convertere libet, ne prolixiore tam exoticarum crudelitatum narratione lectoris animum fatigemus, quàmvis ne sic quidem jucundioris historiæ theatrum nos aperturos polliceamur, ùt satìs ostendet sequens

CAPUT VII.

Perveniunt Saviam, & quid in ea urbe contigerit.

VIdetur mihi omnipotens DEUS servos suos in camino tribulationum ad purum excoquere voluisse, adeò magnîs, & amarîs calamitatum vorticibûs illos perpetim jactari permisit. Hi itaque in societate duorum Maurorum 25. Junii Feziô discesserunt, tantas autem miserias in hoc itinere exantlârunt, quantas

tas ne tunc quidem ſuſtinuerunt, quando Tetuanô Fezium commigràrunt; terra enim militum ferociâ devaſtata, & in ſquallidam ſolitudinem redacta, nihil prorſus rerum eſculentarum ſuppeditabat, ut proinde in bellariis reputaverint, ſicubi fruſtum ſubrancidi panis, aut fraceſcentia aliquot poma nanciſci potuêre. Aqua plerúmque erat adeò turbida, & lutulenta, ut niſi inexorabili ſitis neceſſitate adigerentur, nunquam à ſe impetrâſſent, eam vel primoribûs labrîs attingere. Hanc fœdaverant, & conſpurcaverant denſa illa jumentorum agmina, quæ tyrannus opimîs ſpoliîs onuſta Saviâ Fezium transmiſerat. Hæc diffuſos latè campos replebant, viam deſtruebant, tantàmque vim pulveris excitabant, ut viatores ejus copiâ propè ſuffocarentur. Potiſſimùm tamen ſolis ardore affligebantur, quo in illo calidiſſimo menſe tantùm non aſſati fuerunt.

Quinque diebûs inter has ærum-

 nas

nas iter continuaverant, dum 29. Junii tandem *Mabbala* (ità Mauri nominant militaria castra) viderunt, quod propter ipsa mœnia exstructum longa serie urbem ambiebat, vastóque sinu suo plùs quàm decem tentoriorum millia complectebatur, ut proinde magìs faciem populosæ cujusdam urbis, quàm militaris diversorii referret. Eò Patres delati papilionem suum non procul à regis tentorio erexerunt, ut tantò faciliùs opportunitatem aliquam cum rege loquendi consequerentur. Cæterùm mora eorum in castris minimè fuit diuturna; teterrima siquidem mephiti afflati, quam tot inhumata cadavera exhalabant, aliam habitationem circumspicere coacti sunt. Tentoriô itaque curæ duorum Maurorum, in quorum societate advenerant, commissô, ipsi assumptîs secum sarcinîs suîs urbem adire decreverunt, atque in hac resolutione viam, quæ ad civitatem ducit, auspicati fuerunt. Non longè adhuc

pro-

processerant, dum tragicum quoddam, & lacrymîs dignum spectaculum oculos eorum incurrit; observârunt haud procul à muris urbicis quatuor Mauros luctisonîs clamoribûs, & tristissimîs ejulatibûs aëra replere. Ad quos cum propiùs accessissent, deprehenderunt homines illos pedibûs, manibúsque amputatîs in suo se sanguine volutare, & non solùm mutilationis suæ immensîs doloribûs torqueri, verùm etiam famis, sitis, & solaris ardoris injuriîs immanissimè cruciari. Hoc illi supplicio ex mandato tyranni mulctati fuerunt, quòd partibus ejus non satìs favere crederentur. Quanto terrore Patres ex conspectu tam funestæ tragœdiæ correpti fuerint, nullîs verbîs satìs explicari potest: Videbant miseros illos extremîs doloribûs infestatos, neminem tamen esse, qui vel aquæ guttulam eis porrigere auderet, cunctîs scilicet metuentibûs, ne pro tali charitatis officio similis pœnæ mercedem reporta-

tarent ; rex nàmque mandaverat, ut Mauri illi omni humana ope destituti inter hæc tormenta expirarent. Hæc dum illi intuentur, tantîs perplexitatibûs involuti fuerunt, ut propè obriguerint, & ne passum quidem promovere potuerint. Ergo dum cunctantur, & ancipiti cogitationum tumultu fluctuant, ex Divina, procul dubio, dispositione pro solatio eorum supervenit quidam captivus Christianus, Malagâ ex Hispania oriundus, nomine Joannes Rubio, qui trepidos Patres suô alloquiô confirmavit, & impigrâ diligentiâ ædiculam aliquam pro eorum diversorio investigavit, quam tandem etiam in illa urbis parte invenit, quæ, quòd solis Hebræorum habitationibus fuerit deputata, Judæorum civitas vulgari nomine appellabatur. Verùm Patres loci infamiam nihil pensi habentes in id duntaxat erant intenti, ut res suas in tuto collocarent, & quamprimùm ad regis affatus pervenirent.

Pau-

Paululùm à tanto terrore, aliisque itineris ærumnis refpirârant, dum fama vulgante ad eos perfertur, regem edictô publicô fancivisse, ut Judæi omnes fub pœna capitis intra viginti quatuor horas Saviâ excederent, & Fezium commigrarent; facultate infuper negata aliud fecum afportandi, quàm quod quisque humerîs fuîs efferre poffet. Ad hoc decretum promulgandum tyrannus impulfus fuit fufpicione, & metu, ne Judæi filiis devicti regis, qui crudeles ejus manus tempeftivâ fugâ evaferant, adhærerent, atque adeó in ejus abfentia novos tumultus, & factiones cierent. Degebant ea tempeftate in hac urbe plùs quàm decem Judæorum millia, ut vel ex folo familiarum numero, qui ad quatuor millia afcenderat, colligi poteft. Omnibus iftis in unica nocte emigrandum fuit flebili fanè, & compaffione digna calamitate, cùm ex illis plurimi inediâ, & itineris laboribûs confecti miferrimè in via expiraverint,

ſuisque cadaveribûs arenoſam illam ſolitudinem adhuc horridiorem red-diderint.

Tantus autem fuit afflictorum Judæorum, jacturam bonorum, ædiúmque ſuarum deplorantium, ejulatus, lamentatio, concurſatio, & tumultus, ut Patres tota nocte illa ne oculum quidem claudere valuerint. Pervigiles itáque anxiîs animîs ortum auroræ præſtolabantur, qua ingruente è ſtratis ſuis proſilierunt, feſtinísque pedibûs inquietum ſuum hoſpitium deſeruerunt. Verùm quocúnque tandem oculos convertiſſent, ubíque haud diſparem luctum, & planctum offenderunt, Judæis omnia lacrymîs, queſtibûs, & ſingultiſonîs gemitibûs latè replentibus. Mox autem ùt ſol aureos ſuos radios ſpargere incepit, ſtatim belluinus tyrannus militibus ſuis imperavit, irent, totámque Judæorum civitatem luſtrarent, & ſi quos invenirent, qui nondum urbe egreſſi fuiſſent, illos absque miſericordia trucidarent.

Ni-

Nihil cunctati Mauri exertîs frameîs protinus civitatem irruperunt, omnésque Judæos, quos aut infirmitas, aut doloris magnitudo, aut dubia ſpes futurorum domi adhuc detinuerat, inexorabili ſævitie jugulârunt. Quibûs interfectîs juſſit tandem rex flammas tectis eorum ſubjici: ipſe autem, novum mundo Neronem exhibiturus, in talem ſe locum contulit, è quo totum incendium commodè inſpicere, immitésque oculos ſuos tam feralî ſpectaculô paſcere valeret.

Hæc, dum agerentur, Patres Redemptores in veſtibulo domus regiæ conſiſtebant, & opportunam quamdam cum rege colloquendi occaſionem captabant. Cæterùm ùt audierunt confuſum vociferantis populi clamorem, nec tamen ſatìs ſcirent, quid iſte portenderet, palatiô egreſſi, non ſinè horrore aſpexerunt ingentes flammarum globos, quos incendium ex imis ædium viſceribus ebullierat, & ventorum vi obſtetricante

in altum eructaverat. Tam terrificô, & inopinatô spectaculô attoniti Patres jam non solùm alienam, sed & propriam miseriam deflere cogebantur; cùm enim hospitium illorum in eo esset loco situm, ubi flammæ impotenti furore potissimùm bacchabantur, non sinè ratione res suas cum ipsa domo conflagrâsse autumabant. Nec tamen solam sarcinarum suarum amissionem deplorabant, sed multò magìs de salute illius captivi, cujus custodiæ domum crediderant, soliciti tenebantur, quem voraci incendio in pabulum cessisse formidabant. Properè igitur, quàmvis non sinè periculo advolârunt visuri, num aut captivum illum, aut quidquam rerum suarum flammis eripere possent, sed cum propiùs accessissent, illicò deprehenderunt, totam illam domum, sicut & alias omnes in circuitu, ignibûs obsessam ardere. Mœsti proinde, ac desolati relicta urbe in castra reversi sunt, tentorium suum repetituri, quod pri-

pridie curæ duorum Maurorum tradiderant, hoc námque unicum refugium in tanta calamitate eis etiamnum remanſerat.

Sed quemadmodùm diſpulsîs gravidarum nubium umbrîs, ſolis jubar lætiùs promicat, ità afflicti Patres inexpectatô quôdam gaudiô dulciùs ſunt recreati; cùm enim profundiſſimô quodam triſtitiæ pelagô eſſent abſorpti, quòd ſe viderent in medio barbarorum, & ab omni charitate alienorum hominum conſtitutos, pecuniâ deſtitutos, tantîs quoque paraſangîs Ceutâ remotos, unde ſubſidium aliquod evocare potuiſſent, hæc, inquam, cùm apud ſe mœſtîs cogitationibûs revolvunt, præter ſpem omnem, in ipſo tentorii ingreſſu, captivum, quem in urbe ad ſarcinas dimiſerant, ſalvum, & incolumem intuentur. Hoc erat primum gaudium, quo poſt tantas ærumnas, adverſitates, afflictiones, & terrores recreati fuerunt. Sciſcitantibûs ergo illîs, quo pacto rabidam

dam illam incendii sævitiem evasisset, respondit iste, se quidem non sinè præsentissimo vitæ periculo tribûs vicibûs flammas penetrâsse, rèsque Patrum domo extulisse, nullìs tamen ignium injuriìs læsum fuisse, quod apertissimo ipse miraculo tribuit, cùm crederet, naturalî modô id fieri minimé potuisse, præcipuè cùm non raptim domum subiverit, sed tantas in ea moras fecerit, quantîs opus erat, ùt totam Patrum substantiam ab edaci flammarum violentia vindicaret. Quo audito religiosi Patres consonîs vocibûs Divinæ Majestati pro tanto beneficio laudes, gratésque decantârunt, satìs gnari, si illud exiguum peculium, quod secum in viaticum attulerant, perdidissent, sibi inter infideles illos pereundum fuisse.

CA-

CAPUT VIII.

De iis, quæ inter P. Joannem, & Regem Muley Arzis evenerunt.

HOc terrore nonnihil ſopito V. P. noſter Joannes cum ſociis ſuis in urbem reverſus eſt, occaſionem aliquam cum rege loquendi prehenſaturus, & licentiam petiturus Redemptionem captivorum inchoandi. Vix autem illi atrium regalis palatii fuerant ingreſſi, dum regem ipſum obvium habuerunt, quem tamen nullus eorum agnoverat, partim quòd eum nunquam viderint, partim quòd rex ſolus, & incomitatus inceſſerit. Tyrannus, ùt viros iſtos religioſos conſpexit, illos ſibi ignotos eſſe ſimulavit, ac propterea quendam aulicorum ſuorum accerſivit, eíque in mandatis dedit, ut Patres interrogaret, quinam eſſent, & qua licentia (cùm exterior veſtium forma illos Chriſtianos eſſe proderet) atrium regiæ domûs

mûs ingreſſi fuiſſent? Patres modeſtè reſponderunt, ſe Redemptores eſſe captivorum, & ſub regii verbi fide Mauritaniam ingreſſos, ac deinde Feziani Pro-regis juſſu huc profectos fuiſſe. Addebant deinde, ſe non alia de cauſa præſentem Aulam adiviſſe, quàm ut occaſionem aliquam nanciſcerentur ad regis affatus perveniendi, ejúſque mandata implendi, quatenus deſideratiſſimam Redemptionem captivorum quàm maturrimè auſpicari poſſent. Hîs auditîs excanduit tyrannus, trucíque vultu minas ſpirans repoſuit, nihil magnum fore, ſi rex tantam audaciam morte puniret. Quibûs dictîs obmutuit, lectîsque retrò veſtigiîs, in ſuum ſe rurſus palatium recepit, relictîs Patribûs metu, ſtuporéque defixîs, qui licèt mortem ſubire minimè formidarent, non poterant tamen non deplorare ſortem pauperum captivorum, qui eorum nece tam efflictim expecta-

ta, tantîsque votîs exoptata libertate frustrandi erant.

Hîs illi angustiîs obsessi, majori adhuc terrore repleti fuerunt; Maurus enim, qui interpretis apud illos officiô fungebatur, pessima quæque Patribus, sibíque ominatus, aufugit ab eis, exertè testando, regem fuisse, cum quo illis sermo paulò antea intercesserat. Quantum autem pii illi viri ad talem relationem cohorruerint, procliviùs est cogitare, quàm scribere. Stabant illi attoniti, à rege, qui eos per tanta terrarum spatia ad se vocaverat, tam asperè, & inhumanè excepti, & à suo interprete deserti, ut proinde, quid agerent, aut quò se verterent, non habuerint. Dum igitur de re præsenti inter se deliberant, Maurus quidam, sive â rege jussus, sive suô geniô, & naturali in Christianos odiô ductus, ut desolatis nimirum Patribus uberiùs illuderet, illos accessit, eósque mansuetè subsequentes ad obscurum quoddam, & fœtidum equorum stabulum

bulum deduxit, in quo ab hora octava matutina usque ad quintam â meridie sinè cibo & potu permanserunt. Hunc locum immundum ingressi confestim ad mortem se disposuerunt firmiter persuasi, se illo etiamnum die filios mortis, ac æternæ dein vitæ futuros. Patres itaque sibi invicem confessi fuerunt, Frater Joannes autem exomologesim suam in auribus V. P. Joannis deposuit.

Dum itaque mortem singulîs momentîs expectarent, ingressi sunt duo Mauri ad eos, catenas, numellas, & ferreos circulos, quibûs in Mauritania reorum manus, pedésque vinciri solent, ex humeris portantes, & torvîs oculîs Patres intuentes. Hîs visîs ultimam vitæ suæ horam jam advenisse crediderunt, rati, duos illos nigros esse ex numero carnificum, quibus rex provinciam illos jugulandi demandaverit: Isti autem depositîs numellîs, & catenîs prægrandes duos cultros ê sinu produxerunt, esóque in allata secum cote ex-

exacuerunt, tamquam ad inſtantem aliquam lanienam ſe præpararent. Verùm religioſi illi viri hôc terrificô ſpectaculô nihil admodùm exterriti ſe promptîs animîs ad martyrium obtulerunt, ex quibus V. P. Joannes primus erat, qui mortem exporrecta fronte provocavit, cui ſe alii duo ſocii ejus generoſiſſimè conformârunt. Impavidus itáque in genua procubuit, oculísque in cœlum erectîs, & vultu placidiſſimo impetum lictorum expectavit, aliîs duobûs intereà optimîs ſermonibûs ſe ad hunc glorioſum agonem alacriter ſubeundum cohortantibûs. Ceterùm Mauri, qui licentiam quidem habuerunt hos viros religioſos ludificandi, non tamen occidendi, ſeſqui horæ exactô ſpatiô, nullôque verbô prolatô inde rurſus egreſſi fuerunt ſarcaſtico riſu mortales Patrum anguſtias largè, & affatim ſubſannando. Mirum ſanè minimè fuiſſet, ſi Patres illi in tanto terrore animas egiſſent, aut ardentiſſimum pro Chriſto patiendi

 deſi-

desiderium residuum calorem vitalem in eis penitùs extinxisset. Verùm Divina Majestas, quæ illos pro gravioribus ærumnis prædestinaverat, noluit eos in hac velitatione emori, ne gloriosiorum trophæorum, quæ ipsos præstolabantur, exsortes manerent.

Post digressum lictorum cœperunt quidem Patres à concepto terrore aliquantulùm respirare, sed cùm non ignorarent, barbarum illum regem in deliciis habere, eos, quos perdere decrevit, lentîs, ac protractîs suppliciîs conficere, rursus suspicati sunt, ne fortassis terror iste præsagium quoddam, sive prodromus fuerit graviorum tormentorum, quæ impotentis tyranni cruda sævities eis adhuc inferre constituisset. Hæc illi dum anxiè volvunt, & ambigua spe metum temperant, supervenit circa horam quintam vespertinam interpres illorum, qui eos ante meridiem præcipitatâ fugâ destituerat. Hic, cùm rei gestæ seriem Patribûs nar-

narrantibûs didicisset, respondit, illos nigros fuisse quidem lictores, non tamen, idcirco in hunc locum venisse, ut Patres jugularent; ajebat enim, se toto hoc tempore in civitate fuisse, nullibi tamen audiîsse, quòd rex præceperit, ut Papazes (ità Mauri Religiosos nostros appellitant) interficerentur. Certum itaque tenerent, si rex, qui jam tempore matutino suam indignationem prodidit, illos è medio tollere decrevisset, se ad hanc horam nequaquam victuros fuisse, præcipuè cùm regem non fugerit, quo loco tota die latuerint. Hôc dictô, eos bonô animò esse, secúmque ire jussit, quem cùm secuti fuissent, ad parvam quamdam domum pervenerunt, ubi cibô, potúque corpora recreârunt, quod illis tantò magìs erat necessarium, quantò majori terrore, inediâ, solis ardore, atque inde emergente siti afflictati fuerant. Promiserat eis pariter Maurus ille, se ipsis crastina die (Patri námque Joanni

fixum erat nulli induſtriæ parcere, ut ad regis alloquium pervenire, & facultatem inchoandæ Redemptionis obtinere poſſet, quamvìs neceſſarium foret, ut hujus rei gratiâ vitam cum ſanguine funderet) copiam cum rege loquendi impetraturum.

Hos inter ſermones fama ad eos perfertur, regem eadem adhuc nocte in caſtra conceſſurum, & ſummo mane cum toto exercitu Marrochium profecturum; hanc enim urbem feſtinanter adire decreverat, ut præparatîs celeriter rebûs, quibûs ad expugnationem regni Zus opus habebat, curſum victoriarum ſuarum proſequeretur. Hac auditione percepta Patres, atque cum illis Maurus, qui eos in congreſſum regis ſe perducturum ſpoponderat, cum primùm aurora illuxit, è ſtratis proſilierunt, & glomerato greſſu in caſtra contenderunt, quæ, ùt diximus, plura quàm decem tentoriorum millia in ſuo gremio complectebantur. Prodiit

diit deinde â rege mandatum, ut tabernacula circa horam ſeptimam removerentur. Hoc præceptum Mauri tanta feſtinatione compleverant, ut tentoria omnia, ſolo regis papilione excepto, quem in ſua ſtatione reliquerant, in momento ferme disjecerint, ut proinde nemo ſatìs mirari potuerit, quomodò locus ille, qui paulò ante faciem frequentiſſimæ urbis exhibuerat, adeò ſubitò ex ſpectantium oculis evanuerit, ac ſi dehiſcente terra abſorptus fuiſſet. Poſt modicum temporis intervallum interpres Patrum è regio tentorio egreſſus illis ſignificavit, regem jam indulſiſſe, ut in ejus conſpectum prodirent. Illi itáque omni poſſibili celeritate conſcientias mutuîs confeſſionibûs expiârunt, ac imploratô Dei auxiliô tandem regis tabernaculum ſubiverunt.

Quos, ùt vidit, inſolentiſſimus tyrannus magno faſtu rurſus interrogavit, quínam eſſent, & quid vellent? Ad hæc Patres placidè, ac humiliter re-

reposuerunt, se esse Redemptores captivorum Christianorum, qui ejus regio verbo confisi terras has ingressi fuissent, ut vinculatos Christianos datô lytrô in libertatem assererent. Addiderunt pariter, se ejus imperiô commigrâsse, Tetuanô Fezium atque in hac ultima civitate Pro-Regis mandatô jussos fuisse Saviam petere, se itáque promptâ obedientiâ huic præcepto morem gessisse, & coram ejus regio vultu nunc comparuisse. Hîs auditîs barbarus rex adductô supercihô, & aspera voce respondit, duplicî se causâ impulsum fuisse, ut Patres ad se accerseret: primò quidem ut eis justissimam suam indignationem adversùs Hispanos conceptam aperiret; sibi námque relatum fuisse, Hispanos tanta crudelitate in Mauros sævire, ut non solùm vivos exquisitissimîs tormentîs affligerent, sed belluina rabie etiam defunctorum corpora canibus discerpenda objicerent. Quæ si veritati consona forent, se repressaliorum jure simili im-

immanitate in Hiſpanos animadverſurum. Fronte deinde nonnihil ſerenata, & facie placidiori ſubjunxit, perſcriptum ſibi fuiſſe, Patres varias, & pretioſas gemmas ſecum in Mauritaniam attuliſſe, quarum viſendarum deſideriô ſe teneri affirmavit.

Patres auditîs hîſce calumniîs breviter, quantum nimirum anguſtia temporis patiebatur, propoſitas regis querelas diluerunt. Dixerunt itaque, regem falsîs, & malevolîs relationibûs ab illis demulctum fuiſſe, qui ſuîs aſſentationibûs ejus favorem aucuparentur; nam quantum à veritate abhorreat, quòd Hiſpani tanta crudelitate cum Mauris captivis procedere dicantur, poſſe regem vel ex eo agnoſcere, quòd blandiloqui illi veteratores citra ullum ruborem ei impoſuerint, ac ſi ipſi tantam gemmarum vim ſecum advexiſſent; regem enim, ſi tam Fezii, quàm Tetuani veritatem penitiùs explorare vellet, facilè deprehenſurum ſe præter pauculos quosdam unio-

 nes,

nes, & ſmaragdi unius cimelium nihil ſecum adduxiſſe, neque hæc alio fine aſſumpſiſſe, quàm ut ea juxta receptam conſuetudinem regi pro obtento commeatu offerrent. Atque hôc dictô ſmaragdum ingenioſa aurifabrorum manu elegantiſſimè veſtitum ei tradiderunt, cujus decora ſpecie tyrannus ineſcatus, blandiùs deinceps cum Patribus egit, eísque nova ſecuritatis ſponſione facta ampliſſimam licentiam captivos redimendi, non ſolùm Fezii, & Tetuani, ſed etiam in omnibus urbibus, & locis ſui Imperii conceſſit. Hîs dictîs equum conſcendit, & extemplò in viam ſe dedit. Id ipſum etiam Religioſi noſtri fecerunt, qui hac veniâ obtentâ tantîs ſunt gaudiîs delibuti, ut omnium præteritarum calamitatum, & afflictionum fuerint obliti.

Quartâ itáque Julii in ſocietate duorum nobilium Maurorum, quorum alter, cujus etiam ſuperiùs mentionem fecimus, Mahomet Benzuda, al-

alter verò Casime Daudaz dictus fuit, Saviâ excesserunt. Hoc tertium iter eis non perinde molestum accidit, atque duo priora; blandissima siquidem spes Redemptionem Captivorum exordiendi, ipsis omnem viarum amaritiem edulcaverat, & immodicum solis ardorem lenierat. Verùm licèt proprias miserias patientî stomachô concoxerint, non potuêre tamen à se impetrare, ut alienis non indolescerent; cùm enim urgente tyranni mandato omnibus Judæis intra viginti quatuor horas fuerit Saviâ emigrandum, quorum domicilia etiam ante evolutionem hujus temporis flammis in prædam cessérant, impossibile videbatur piissimis Patribus, ut siccîs oculîs intuerentur palantia illa, & per campos latè dispersa miserorum agmina mœstissimîs questibûs aëra implentia, & jacturam cunctorum bonorum suorum amarissimîs lacrymîs deplorantia. Matres lethalibûs conficiebantur doloribûs, cùm viderent liberos suos

fame, ſitique contabeſcere, aut exanguia ubera avidîs quidem labellîs, ſed irrito conatu premere. Mariti verò: ne longam uxorum, proliúmque ſuarum mortem coràm intueri cogerentur: crudelî miſericordiâ acti eos propriîs manibûs trucidârunt. Alii duos infantes in ulnis geſtabant, alii humi proſtrati extremos anhelitus reciprocabant, alii viribûs defecti ſe miſerandum in modum ſuper terram volutabant. Paucîs: Nihil hìc erat aliud videre, quàm ſupremam neceſſitatem, & deſolationem, nec aliud audire, quàm luctiſonos gemitus, & remugientes ejulatus: hoc tragicô ſpectaculô novercantis fortunæ Religioſi viatores adeò commoti fuerunt, ut & ipſi totos fletuum rivulos effuderint. Et illi quidem afflictis pro viribus opitulari, eósque mellitiſſimîs verbîs conſolari, ac deníque ex modica annona, quam ſecum attulerant, largè illis ſuccurrere cœperunt, ſed cùm viderent, penum ſuam eſſe longè tenuiorem, quàm ut tot famelicis
fa-

saturandis sufficeret, cúmque sibi præcordia rumpenda crederent, si diutiùs in contemplatione tam lugubris spectaculi hærerent, ab eis tandem recesserunt, & per ingentes anfractus iter suum continuârunt. Quamvìs autem hac ratione plùs quàm viginti milliarium circuitu fatigati fuerint, citatissimo tamen equorum cursu provecti iter suum intra triduum absolverunt, utpote qui sextâ Julii Fezium sub solis occasum ingressi sunt.

CAPUT IX.

Fezii inopinato eventu ab inchoanda Redemptione Captivorum impediuntur, unde re infecta Tetuanum proficisci coguntur.

INflammata Patrum charitas, & ardentissimum eorum desiderium Redemptionem captivorum tandem aliquando auspicandi omnes comperendinationes in fastidio habuit. Ut itáque suæ incensæ cupiditati quantocyus litarent, sequenti statim die in societate duorum illorum nobilium

lium Maurorum, quos comites in sua ultima peregrinatione habuerant, ad Pro-Regem se contulerunt. Huic postquàm exposuissent, se à fratre suo, rege nimirum Mauritaniæ, amplissima facultate donatos fuisse omnes captivos Christianos ubivis intra fines sui imperii existentes redimendi, rogaverunt, ut ejus bonâ veniâ, sibi liceret illos tres, & quadraginta captivos, qui Fezii in vinculis attinebantur, præsentî pecuniâ in libertatem asserere. Inveniebantur quidem in hac civitate alii captivi Christiani, sed ex illorum classe, qui vulgò *Bienvenidos* dicuntur. Ad hos verò redimendos Patres néque à S. Religione nostra, néque à Supremo Consilio Bellico licentiam habuerunt. Sunt autem hi *Bienvenidos* tales homines, qui propter sua crimina, & flagitia ad labores, in præsidiis pro qualitate delicti subeundos, condemnantur, ex quibus, si opportunam occasionem nanciscuntur, clam aufugiunt, & infidelium servituti ex hac dam-

damnabili intentione se datâ operâ subjiciunt, ut tamquam captivi Christiani postea à Patribus nostris redimantur, atque hac ratione non solùm pœnas suis sceleribus debitas possint evadere, verùm etiam cum aliis redemptis captivis liberè in Hispaniam remeare, quod idem est, ac justitiam nasô aduncô suspendere. Nefas proinde foret, si pro impiis hisce transfugis lytrum expenderetur, quod pro redemptione illorum infelicium destinatum est, qui aut ruri laborantes à piratis improvisa aggressione intercepti fuerunt, aut suorum negotiorum causâ mare persulcantes in potestatem barborum prædonum devenerunt.

Flagitiosi illi transfugæ, ut intellexerunt, quid Patres Redemptores molirentur, adeò exacerbati fuerunt, ut quatuor eorum effrontî impudentiâ Pro-Regem accesserint, eidémque stomachabundi dixerint: Meminisset, regem, fratrem suum non alia de causa tot captivos Christia-

ſtianos in ſua ditione poſſidere, niſi quia multi ex præſidiis ad Mauros transfugiunt hac ſpe lactati, ſe deinde Patrum Trinitariorum operâ redemptum iri. Quod ſi autem imposterum hæc ſpes eis præcideretur, & illi ſoli liberarentur, qui in bello capti, aut aliô inclementis fortunæ ludibriô in poteſtatem Maurorum devoluti fuerunt, futurum eſſe, ut nemo ampliùs Chriſtianorum, aut certè pauci admodùm ad ipſos transfugiant, quod in grandem hujus regni perniciem eſſet redundaturum, tum quia milites in Chriſticolarum præſidiis nunquam amplius deficerent, tum quia regnum ingenti pecuniâ, quæ pro ipſorum redemptione aliàs expendeberet, hac ratione fruſtraretur. Quantum autem regis interſit, ut milites in præſidiis Chriſtianis minuantur, & major quotidie pecuniæ ſumma in ſuis provinciis expendatur, neminem, ajebant, ipſo perſpicaciùs intellecturum. Hæ rationes viſæ ſunt Pro-regi adeò prægnan-

tes,

tes, & momentosæ, ut decreverit Redemptioni captivorum in urbe Feziana nunquam assentiri. Patres itaque allocutus dixit, ut Tetuanum reverterentur, sibi námque propositum esse de præsenti materia regis sententiam exploratiùs indagare. Incredibile dictu est, quantùm PP. Redemptores tam insperatô Pro-regis mandatô perculsi fuerint.

Iste autem animum in hac sua resolutione adeò obstinârat, ut nullis precibûs inde dimoveri potuerit, quamvis Patres integrô octiduô nihil non egerint, ut ejus pervicaciam emollirent. Tandem cùm etiam duo illi nobiles Mauri, in quorum comitatu Patres Saviâ Fezium profectos fuisse diximus, preces suas in favorem Patrum interposuissent, pollicitus est, se quadraginta illos, & tres captivos, si rex eorum redemptioni non adversaretur, Patribus Tetuanum transmissurum. Cùm verò rex eo tempore bellicîs curîs totus absorptus, & novis duntaxat expugna-

pugnationibus intentus esset, cætera omnia súsque, déque habuit, ac propterea epistolam fratris sui ne responsô quidem dignatus fuit, ut proinde Patres, nisi tempus frustra Fezii terere voluissent, necesse habuerint de reditu cogitare. Mutuîs itaque lacrymîs perfusi desolatissimis captivis valedixerunt, qui amarissimè deploraverunt, se malitià, & iniquitate falsorum Christianorum ad hanc calamitatem devolutos fuisse, ut licèt redemptionem suam præ foribus viderint, obsistente tamen nequitia patriotarum suorum ejus compotes fieri nequiverint. Hæc lugubris rerum facies Patrum corda adeò vulneravit, ut in effusissimas lacrymas eliquati fuerint, qui, quamvis corpore ab afflictis captivis recesserint, corde tamen, & animô eis conjunctissimi permanserunt.

Tali mœrore gravati decimâ quartâ Julii Feziô emigrârunt, & inter easdem difficultates, labores, ærumnas, ac terrores, quos in prioribus iti-

itineribus exantlaverant, poſt quinque dies Tetuanum pervenerunt, quam illi urbem decimâ octavâ ejusdem menſis alterâ ab occaſu ſolis horâ ingreſſi fuerunt. Quamprimùm de adventu eorum V. P. Michaël à Virgine, qui Tetuani remanſerat, certior factus fuit, cui hujus rei famam Maurorum quispiam, qui adventantes Patres fortuitò conſpexerat, gratô nunciô detulerat, illicò exiliit, eisque obviam proceſſit. Dici vix poteſt, quantùm bonus ille, ſanctúsque ſenecio geſtiêrit, cùm dilectos ſuos, deſideratôsque ſodales, de quibus per integros triginta quinque dies nihil omnino inaudiêrat, ſalvos, & incolumes coram intueretur. Eos igitur arctiſſimîs ſtringens amplexibûs domum deduxit, tantò lætior de eorum proſpero adventu effectus, quantò triſtior in eorum abſentia fuerat, utpote qui de illorum ſalute hactenus ſemper grandem ſolicitudinem geſſerat, quòd ſatìs nôſſet, quanti diſcriminis res fuerit,

illis exulceratiſſimis temporibus tam vaſtum regnum ſubire, & in medio barbarorum, ac infidelium verſari. Omnes proinde SSS. Trinitati ſacrificium laudis devotiſſimis animîs immolârunt gratias agentes Omnipotenti Deo, quòd eos â multeſimis periculis clementiſſimè cuſtodiêrit, & liberaverit. Cæterum cùm tantîs laboribûs exhauſti refocillatione quadam indigerent, ſtatuerunt nonnihil corpora confirmare, ut recreatîs viribûs tantò alacriùs, & ferventiùs redemptioni Captivorum incumberent.

CAPUT X.

De immani quadam perſecutione, quæ contra Patres Redemptores excitata fuit.

MAgnanimi hi, & impigri Chriſti athletæ poſt tanta pericula, terrores, & ærumnas non diu ſunt feriati; unica namque die corpori reſtaurando conceſſa protinùs manus

nus operi redemptionis admoverunt; omnis enim mora, & comperendinatio in tali negotio eis multò gravior accidebat, quàm alia qualiscunque demum afflictio. Macti proinde animîs vigesimâ Julii Gubernatorem accesserunt, atque ab eo licentiam inchoandæ redemptionis efflagitârunt. Gubernator respondit, ut tantisper ab hoc opere sibi temperarent, donec propositum eorum per omnem latè viciniam divulgaretur, ut omnes, quotquot in sua potestate captivos Christianos haberent, hac fama exciti Tetuanum convolarent, atque hac ratione Patribus redemptio facilior redderetur. Non displicuit Patribus prudens hoc Gubernatoris consilium, unde nonnihil expectandum rati, postquam omnes jam captivos Tetuani congregatos intellexissent, tertiâ tandem, & vigesimâ Julii principium eliberationi captivorum dederunt, in qua etiam nullum aliud senserunt impedimentum, nisi quòd Mauri, qui in Patribus mi-

rum quemdam captivos redimendi ardorem obſervabant, auctô nimis, & enormî pretiô mancipia ſua venum obtulerint.

Toti itaque quatuor, & viginti dies elapſi ſunt, antequam Patres de pretio pro centum viginti tribus captivis (plures námque Tetuani, & in confiniis hujus urbis non reperiebantur, alios verò quatuor eis Pro-Rex Fezianus poſteà transmiſerat) cum Mauris conveniſſent. Quibûs ê triſtiſſima ſervitute ereptîs Patres Redemptores tantîs gaudiîs inceſſerunt, ut omnium calamitatum, quas in tribus tam moleſtis, & laborioſis itineribus ſuſtinuerunt, prorſus obliti fuerint; adeò illis ómnem præteriti temporis amarorem blandiſſima ſpes in Hiſpaniam proximè trajiciendi, & pauperes captivos in tuto collocandi edulcaverat. Sed quemadmodum aureus ille ſiderum Imperator crebriùs rutilante patagio amictus curſum ſuum auſpicatur, poſtea tamen mutatô repentè conſiliô atrabaticîs in-

indutus in nigro quodam obſcurarum nubium tentoriô meridiatur, ita & PP. Redemptores poſt ſereniſſimam arridentis fortunæ auroram ex inopino ſe caliginoſiſſima perſecutionis tempeſtate involutos ſentiunt; illi enim poſtquam rebûs omnibûs ritè peractîs decimâ quintâ Septembris læti, hilarésque Gubernatorem urbis acceſſiſſent, átque ab eo copiam ſarcinas ſuas convaſandi, naves conducendi, & partem pecuniæ pro expungendis debitis in illa urbe contractis, Ceutâ afferendi flagitâſſent, inſperatâ repulsâ rejecti fuerunt. Quis crederet? Cùm viri illi religioſi ſibi viderentur poſt tot ſuperatas procellas amœniſſimîs Zephyrîs in deſideratum portum provehi, tanta ſubitò adversùs illos tempeſtas exorta eſt, ut omnes ærumnæ, & afflictiones, quibûs hactenus per ſpatium tanti temporis jactati fuerant, novo huic turbini collatæ pro deliciis reputari potuerint; tanta ſcilicet rabie furor hujus perſecutionis illos infeſtavit, ut niſi pro-

digiosè à DEO adjuti fuissent, humanîs viribûs inimicam vim decumanæ hujus calamitatis superare nequivissent. Totîs siquidem sex mensibûs perpetuis miseriîs, & angustiis conflictati fuerunt, quo tempore in singula fere momenta jacturam totius peculii, & vitæ expectabant, pauperêsque captivos in pristinam servitutem denuò abripiendos metuebant. Res in hunc modum gesta fuit.

Gibilterræ Maurus quidam degebat, qui cum uxore sua, & parva filia nonum ætatis annum nondum egressa captus fuerat, & deinde propriâ pecuniâ sibi, suísque libertatem comparaverat. Ad hunc, cùm in procinctu staret, ut Tetuanum reverteretur, ingressus est quidam Minister, sive Officialis S. Inquisitionis, eíque sub gravi interminatione prohibuit, ne filiolam suam in Mauritaniam secum asportaret, ídque propterea, quòd certissimîs relationibûs compertum fuerit, puellam illam pia quadam in Christianam Fidem inclina-

na-

natione ductam crebriùs jam ſacrum baptisma etiam in præſentia ſuorum parentum extrema ei omnia, & ipſam mortem minitantium efflagitâſſe. Magiſtratus igitur ſuarum partium eſſe ratus tam ſancto deſiderio obſtetricari, huic Officiali in mandatis dedit, ut puellam illam infidelium parentum poteſtati exemptam in ſuam curam, & tutelam ſuſciperet. Quo facto Maurus tanta indignatione exarſit, ut nullam quietem ſibi capere poſſe videretur, niſi hanc violentiſſimam, ùt ipſe putabat, injuriam ultus fuiſſet. Filiolâ itáque in manibus Chriſtianorum relictâ Tetuanum unà cum uxore eo prorſus tempore pervenit, quo Gubernator Patribus indulſit, ut pecunia, aliæque res neceſſariæ Ceutâ afferrentur.

Accidit itáque, ut eadem planè die, qua Patres hujus rei gratiâ in præſentia Gubernatoris verſabantur, Maurus ille cum uxore ſua diſcerptîs, & cruentatîs vultibûs ad Gubernatorem ingrederetur, ac horriſono ejulatu,

 mul-

multísque lacrymîs profusîs de injuria sibi in Hispania facta expostularet, peterétque, ut in vindictam tam iniqui raptûs Patres Redemptores, atque cum Patribus omnes redempti captivi tam diu Tetuani retinerentur, donec sibi filia sua restitueretur. Addidit deinde, se extemplò regem aditurum, eíque totius rei seriem enarraturum.

Hac inexpectata propositione Patres haud vulgariter consternati fuerunt, utpote, qui non obscurè divinabant, se tam prosperum, ùt ipsi optârant, reditum in Hispaniam non habituros, imò, & graviora fortassis, quàm quæ hactenus pertulerant, experturos. Nullum igitur non lapidem moverunt, ut irritatum illum Maurum, & ejus causâ exulceratum nonnihil Gubernatorem placarent. Dixerunt itáque, in Hispania neminem Maurorum vî compelli ad amplectendam fidem Christianam, puellam proinde illam non alia de causa ibi detentam fuisse, quàm quòd ipsa

pro-

propria ſponte animum ad ſacra Chriſtiana appulerit. Nefas proinde eſſe, ut hujus rei causâ ipſi, & inſontes captivi punirentur, cùm in eis nihil reſideat, quod huic culpæ affine ſit. Verùm quidquid illi dicerent, nihil exacerbatum animum Mauri genitoris mitigare poterat; quin imò audita hac juſtiſſima ſatisfactione ad inſtar lymphatici rabire cœpit, & ſcintillantibûs oculîs, inconditáque voce clamavit, ſe actutùm ad regem profecturum, & non Hiſpanos tantùm, ſed & ipſum quóque Gubernatorem accuſaturum, quòd ſibi in tam juſta cauſa ſuô patrociniô adeſſe nolit. Hîs verbîs Gubernator haud mediocriter exterritus fuit, qui licèt datam licentiam naves conducendi, & neceſſariam pecuniam afferendi minimè negârit, aut revocârit, tacitè tamen in animo ſuo decrevit, Patres cum redemptis captivis non priùs dimittere, quàm vidiſſet, qualem exitum cauſa iſta in tribunali ſui regis ſortita fuiſſet.

In his adeò dubiis, & perplexis circumstantiis Fr. Joannes à S. Augustino Ceutam concessit res ad iter necessarias præparaturus. Quamprimùm autem eò pervenit, Marchioni de Assentar ex ordine narravit non solùm ærumnas, & calamitates, quibûs ipse cum Patribus Redemptoribus hactenus jactatus fuerat, verùm etiam novissimam criminationem suprádicti Mauri, ex qua Patres multò adhuc majora pericula, quàm quæ hucúsque pertulerant, sibi impendere metuebant. Marchio, tamquàm vir prudens, & in rebus barbarorum versatissimus, facilè agnovit, hanc causam esse rem maximi momenti, ex qua non solùm redemptis captivis, verùm & ipsis quoque Patribus Redemptoribus summum discrimen creari posset. Impulsu itáque charitatis Christianæ actus, ut Patres ab imminenti periculo vindicaret, statuit totius rei seriem penitissimè explorare, antequàm Fr. Joannes Tetuanum remearet.

Mi-

Misit igitur Gibilterram Dominum Didacum de Pinto, Equitem S. Jacobi, suúmque (ùt vocant) Adjutantem Generalem, eidémque præcepit, ut juridicè, sive viâ juris in hunc casum inquireret, & ipsam puellam, si nondum sacri baptismatis undîs tincta fuisset, secum Ceutam deduceret, ùt ibidem in præsentia suorum parentum, & agnatorum voluntatem suam publicè manifestaret. Dominus Didacus, ùt Gibilterram tenuit, & intellexit, puellam illam nondum sacrô fluentô ablutam fuisse, eam in societate quatuor Maurorum (quos testium locô secum adduxerat) accessit, blandissiméque salutatam rogavit, ùt se quantocyus itineri accingeret, parentes námque illius Ceutæ multîs monilibûs, & pretiosîs vestibûs onustos ipsius adventum ibi opperiri, ubi, si vellet, liberè coram illis, & cæteris cognatis posset mentem suam in negotio Religionis explicare. Hoc audito parvula illa non infantili fervore respondit: *Ego patrem alium nullum*

agno-

agnoſco, quàm DEum, Cupio pariter non ob aliorum ſuaſum, aut pollicitationes, ſed propria voluntate ſacrîs Chriſtianîs initiari. Hac reſponſione Arabicîs litterîs in codicillos relata, & quatuor illorum Maurorum ſigillô firmata Dominus Didacus Ceutam reverſus eſt non acceptâ ſecum puellâ, quæ animum ſuum in propoſito fidei Chriſtianæ amplectendæ adeò obfirmaverat, ut crebriùs in præſentia aliorum Maurorum dicere audita ſit, parentes ſuos in ſe pervertenda oleum, & operam ludere, ſibi námque adeò fixum eſſe Chriſti fidem ſuſcipere, ut ſi mille vitas poſſideret, eas potiùs libens, lubénsque immolaret, quàm ùt iterum ad ſuos genitores, aut peſtiferum Mahometis dogma reverteretur. Audiant hæc, & erubeſcant verſatiles illi Vertumni, qui ab agnita ſemel fidei veritate aut minîs exterriti, aut promiſsîs illecti facilè deficiunt, aut eam perpetuô animarum ſuarum diſpendiô amplecti negligunt.

Hac

Hac tam insigni attestatione instructus Fr. Joannes, assumpta secum etiam majori parte desiderati lytri, in conductis navibus Tetuanum repetiit. Quò cùm pervenisset, quin indicium aliquod de allata attestatione prodidisset, in societate reliquorum Patrum ad urbis Gubernatorem se contulit, cui Patres officiosissimè valedixerunt, ac licentiam in Hispaniam navigandi flagitârunt. Iste autem, quin conceptam de patre neophytæ puellæ (à quo apud regem, si Patres dimitteret, se accusandum formidabat) suspicionem manifestaret, caussatus est, id tam properè nondum fieri posse, donec parva quædam navigia, & ingens plaustrorum frequentia, quæ paulò ante regis jussu Arcilam abierant, inde reversa fuissent, quod tamen, ùt ipse dicebat, post aliquot dies futurum esset. Sed eventus probavit, ab eo hanc calvam excusationem ideo duntaxat allegatam fuisse, ut bonis Patribus palpum obtruderet, cùm plures quàm triginta dies

dies elapsi fuerint, quin Gubernator Patribus copiam discedendi facere vellet.

Isti verò tantis comperendinationibûs fatigati non desinebant quotidie Gubernatori occinere, hanc moram sibi esse longè perniciosissimam, quòd in sustentatione tot captivorum sumptus in immensum excrescerent, & naulus pro conductis navibus dietim augeretur. Vellet proinde eis desideratam discedendi facultatem concedere, præcipuè cùm navigia illa, & plaustra, in velamen hujus detentionis tam speciosè prætensa, non solùm Arcilam pervenissent, verùm etiam jam diu inde reversa fuissent. Ast surdo fabula cantabatur; Gubernator enim ingratum cras crocitando semper negabat, id sibi hodie integrum esse, donec tandem post decursum duorum, & triginta dierum Patres ad se ultrò accersivisset, eísque exposuisset, Maurum illum neophytæ puellæ parentem de illata sibi in Hispania violentia querimoniam apud re-

regem moviſſe, hunc autem ſeveriſſimè præcepiſſe, ut Patres tam diu Tetuani detinerentur, donec adoleſcentula illa, ſive ſacro fonte regenerata jam fuiſſet, ſive non, genitori ſuo reſtituta eſſet: Viderent proinde, quid agerent, ſibi námque nefas eſſe vel lato ungue à mandatis ſui regis deſciſcere. Hoc tam rigidum præceptum barbarus rex idcirco Gubernatori Tetuano transmiſerat, quòd Maurus ille apud regem conqueſtus fuerit, filiam ſuam eſſe adeò juvenem, & impuberem, ut ex defectu ætatis inter unam, aut alteram Religionem diſcernere nequiret, atque adeò nec unam præ altera eligere valeret. Tunc ſibi demum Fr. Joannes opportunum tempus nactus fuiſſe viſus eſt, atteſtationem illam, quam ad hanc usque diem clam aſſervaverat, in lucem producendi. Hanc itáque è ſinu deprompſit, eámque manibus Gubernatoris tradidit, qui illâ perlectâ negavit, eam ritè confectam fuiſſe, deeſſe ei ſiquidem præcipuas quas-
dam

dam circumstantias, quas ipse additurus esset.

Fingi non potest, aut cogitari, minùs dici, aut litteris describi, quanto mœrore afflicti illi, & itineri inhiantes Patres hac inexpectata Gubernatoris responsione oppleti fuerint. Qui cùm perpensîs omnibûs nullam viam cernerent, quà se ex anfractibus hujus labyrinthi extricarent, statuerunt demum ultimum remedium apprehendere, & regi efficacissimîs litterîs perscribere detentionem illius adolescentulæ sibi minimè esse imputandam, se námque eo tempore in regno ejus versatos fuisse, quo casus iste in Hispania contigerat. Rogabant præterea, ut rex expensa seriò multitudine miseriarum, & ærumnarum, quas hactenus pertulerant, & magnitudine sumptuum, quos in tot mensibus expenderant, Gubernatori Tetuano mandare dignaretur, quatenus ipsos cum redemptis captivis sinè impedimento aliquo in Hispaniam trajicere pateretur; alioquin enim

enim futurum esse, ut nulli ampliùs Religiosi redemptionis causâ Mauritaniam ingrederentur, quod in magnum hujus regni detrimentum esset cessurum, ut sua Majestas haud obscurè cognoscere posset.

Hanc illi epistolam per Maurum quemdam probatæ fidelitatis regi transmiserunt. Quamvis autem iste, ùt erat Patribus mirè addictus, nulli industriæ pepercerit, ut eam quàm celerrimè ad regem perferret, responsum tamen, cùm rex in extremis sui imperii partibus moraretur, post quadraginta dies primò Tetuanum pervenit. In hoc ille Gubernatori præcepit, ut Patres citra ullam dilationem, aut tergiversationem liberos in Hipaniam abire sineret, satisfactum sibi esse dicens, juridica illa attestatione, quæ ad se perlata fuerat. Tam propitia responsione obtenta Patres quidem impendiò gavisi fuerunt, sed cùm Divinæ Majestati placuisset eorum patientiam magìs adhuc in cote adversitatum

exacuere, factum est, ut uno tyranno mitescente, alter superbiâ inflatus ferociret, & faventissimam hanc epistolam suo effectu frustraret. Gubernator enim hoc regis responso irritatus reposuit, fieri non posse, ut hac in occasione regis sui mandatis morem gereret, utpote qui non alia de causa tam favorabiles litteras expedivisset, nisi quòd rerum veritatem nondum satìs edoctus, nec de omnibus circumstantiis ritè informatus, sed veteratoriîs relationibûs circumventus fuisset. Necessarium proinde esse, ut Maurorum aliquis denuo Gibilterram destinaretur, qui rei gestæ seriem sub illis circumstantiis investigaret, quas ipse erat præscripturus. Quis sensus ad hæc bonis Patribus fuerit, qui avidè singulis momentìs discessum urgebant, & toties tam importunîs remorîs sufflaminabantur, putari faciliùs, quàm verbîs exprimi potest. Cæterùm cùm nulla alia evadendi via suppeteret, assensi sunt tandem, quamvis inviti, Gubernato-

natoris postulatis, & in hunc finem propriis sumptibûs Maurum quemdam Gibilterram ablegârunt, ut ibidem juxta conditiones â Gubernatore præscriptas, rei veritatem indagaret.

Maurus ille, quam primùm Gibilterram attigit, omnes protinus Mauros in ea urbe tunc temporis existentes congregavit, ut confœderatis consiliis, & junctâ industriâ totum hunc casum quàm accuratissimè rimaretur. Illis itáque in unum coactis, jussit advocari puellam, eámque cunctis audientibûs interrogavit, utrum ab avita parentum suorum fide desciscere vellet (nondum enim salutari baptismatis undâ expiata fuerat) & an obstînata mente fidem Christianam suscipere constituisset? Puella nihil tot Maurorum (tres enim, & viginti utriusque sexûs eam circumstabant) præsentiâ turbata, imperterrito prorsus vultu respondit: Desinite supervacaneis quæstionibûs vosmetipsos fatigare; mihi namque adeò certum est in confes-

ſione fidei Chriſtianæ perſiſtere, ut nullis minîs, precibûs, promiſsîs, aut tormentîs me ab illa avelli patiar. Et ô utinam feliciorî memoriâ prædita eſſem, dudum S. Baptismatis gratiam conſecuta fuiſſem, ſed quia hactenus doctrinæ Chriſtianæ capita nondum integrè comprehendi, ideo mihi tantum bonum dilatum eſt, quod me tamen proximè conſecuturam confido. O inſignem, & adamantinîs litterîs ſcribendam reſponſionem! quis non obſtupeſcat in tantilla puella tam immobilem fidei conſtantiam, quæ neque blanditiîs; neque minîs, aut terroribûs ſuperari potuit! Hæc verba ſanctis Angelis in cœlo novum peperêre gaudium, Chriſtianis honorem, & infidelibus Mauris confuſionem.

Confeſſio, & reſponſio hujus magnanimæ puellæ â præſentibus Mauris litteris conſignata, eorumdémque ſigillô munita Tetuanum Gubernatori transmiſſa fuit. Sed cùm ſtygius ille ceraſtes nullum non lapi-

dem

dem moveret, ut pauperes captivos, atque cum illis ipſos etiam Patres Redemptores in profundum deſperationis, aut certè magnæ cujusdam impatientiæ præcipites ageret, Gubernatori ſuggeſſit, ut hanc informationem, & atteſtationem tamquam non ſatìs idoneam rejiceret, ídque propterèa, quòd una ex illis circumſtantiis, quas ipſe addiderat, omiſſa fuerit. Ille ſiquidem præceperat, ut hæc catechumena adoleſcentula poteſtati illius, â ſe transmiſſi Mauri traderetur, & in manibus ejus totis ſex diebus relinqueretur, quin hoc tempore alicui Chriſtianorum fas eſſet illam videre, aut alloqui, deinde verò in præſentia multorum Maurorum interrogaretur, an fidei Chriſtianæ nomen dare vellet. Hæc autem conditio in Hiſpania admiſſa non fuit, cùm ſatìs conſtet, Mauros præ cæteris mundi nationibus eſſe magiæ ſtudiîs infames, qui proinde; Si puella ejusdem poteſtati concredita fuiſſet, magicîs fortaſſis artibûs

bûs hoc tempore effeciſſet, ut puella incantationibùs, aut præſtigiîs dementata illi deinde pro libitu ejus reſpondiſſet. Cùm autem hæc circumſtantia, quæ in opinione malevoli Gubernatoris principem locum obtinebat, neglecta fuerit, ille diſſertè proteſtatus eſt, fieri aliud non poſſe, quàm ut hoc totum negotium denuo regi proponatur, quidquid moeſti Patres é diverſo opponerent, quos ſumptuum quotidie magìs excreſcentium moles anxios admodùm, & ſolicitos reddiderat.

CAPUT XI.

De aliis duabus horrendis perſecutionibus, quæ contra Patres Redemptores ſubortæ fuerunt, & de Captivitate V. P. Joannis.

HIs anguſtiîs obſeſſi Patres communibûs votîs decreverunt, ut unus ex illis regem adiret, ubicúmque demum ille verſaretur; aliud nàmque medium nullum eis videbatur reliquum quàm ut hnnc Princi-

Principem fidei, regiô ſuô verbo datæ, commonefacerent, eundémque rogarent, ut converſionem illius juvenculæ in meliorem partem interpretaretur, ipſósque, qui ad eam nihil contuliſſent, inſontes eſſe pateretur. Ardua hæc provincia Fr. Joanni à S. Auguſtino, tamquam viro, Mauris ex frequentiori contubernio familiariter noto demandata fuit, qui etiam promptè ſe obtulit ad omnes ærumnas, & calamitates perferendas, ut redempti captivi tam efflictim exambitam libertatem tantò velociùs conſequerentur. Tetuanô itáque in ſocietate illius Mauri, qui Gibilterræ informationem de puella confecerat, egreſſus decimâ ſeptimâ Octobris in viam ſe dedit aſſumpto ſecum pariter uno ex redemptis captivis, qui regionum illarum peritior eſſe putabatur. Biduum jam in itinere exegerant, dum ex ſingulari Dei diſpoſitione in quemdam â fide Chriſtiana apoſtatam (Renegatos ibi vocant)

cujus

cujus nomen erat Brachman, inciderunt. Hic, qui præcipuum quemdam gratiæ locum apud regem tenebat, & ab eo negotiis marinis cum poteſtate præfectus erat, ùt intellexit, cujus rei gratiâ ipſi ad regem proficiscerentur, dixit eis, ut Tetuanum reverterentur, ſe namque regiîs litterîs inſtructum eſſe, quibûs mandabatur, ut Patres cum redemptis captivis illico dimitterentur, quamprimùm ipſe Tetuanum eſſet perventurus, uno tamen ex nobilioribus captivis retento, qui obſidis locò tam diu in urbe remaneret, donec cauſa illius puellæ perfectè deciſa, & explorata fuerit. Hôc illi Mercuriô læti Tetuanum repetierunt ſortem ſuam præprimis ſibi gratulantes, quòd â Renegato illo, ùt facilè fieri potuiſſet, in via non aberraverint, ſed eum opportuno adhuc tempore offenderint, qui poſtquam urbem illam ingreſſus fuiſſet, Gubernatori regis mandatum expoſuit:

fuit: Quo audito, respondit iste, se regis imperio obsecuturum.

Cùm itaque Patres Redemptores perspicuè agnoscerent, hanc unicam viam esse, per quam gravissimas illas, sibíque perpetim succedentes tribulationes, quibûs jam totîs octo mensibûs maximô suô dispendiô conflictati fuerant, evadere possent, regis tandem mandato, quod Renegatus ille secum attulerat, obsecundare decreverunt, atque adeò voluntati Gubernatoris commiserunt, ut aliquem ex captivis pro suo arbitratu obsidis locò eligeret. Hìc demum videre licebat amœnissimam quamdam jucundissimi spectaculi scenam, captivîs certatim hanc periculosam aleam prehensantibûs, & in aliorum vincula suffici cupientibûs, ut suo discrimine reliquorum incolumitati consulerent. Acriùs tamen multóque ferventiùs hanc ancipitem Provinciam sibi quisque Patrum Redemptorum deposcebat, qui suo muneri id annexum esse asserebant, ut suîs

periculîs captivorum salutem in tuto collocarent. Adversante tamen Brachmano preces eorum irritæ fuerunt, is enim dicebat, rem fore nefandam, si aut regis mandatum privatorum hominum audaciâ immutaretur, aut illi in captivitatem redigerentur, quorum libertati rex verbi sui inviolabili majestate caverat. Elegerunt itaque ex redemptis captivis fratrem quemdam laicum S. Ordinis Prædicatorum, Michaëlem Carrasco dictum, cujus redemptio Patribus nostris plurimi steterat. Hunc illi obsidis partes expleturum â reliquorum turba volentem sanè, & gaudentem sequestraverunt, utpote qui S. Patriarchæ sui Dominici spiritu, & exemplô inflammatus semetipsum sæpiùs ad perpetuam captivitatem obtulerat, ut suîs vinculîs cæteros â miserrimo hoc fortunæ ludibrio eriperet.

Quamvìs autem hactenus gravissimîs ærumnîs exagitati fuerint, placuit tamen Divinæ Majestati, ut ad-

adhuc majoribûs arietarentur, & extremo discrimini eo tempore admoverentur, quo putârant, se jam in portu navigare, omnibûsque difficultatibûs complanatîs nihil aliud superessé, quàm ut sarcinas colligerent, & felicibûs auspiciîs in viam se darent. Nam cùm rebûs ritè compositîs Gubernatorem accessissent, eíque religiosum fratrem illum Dominicanum tradidissent, quem barbari pro obside elegerant, ac deinde facultatem emigrandi postulâssent, nova rursus echeneide impediti fuerunt, Gubernatore dictitante, id ante decursum quatuor, vel sex dierum fieri non posse. Et ille quidem Patribus tam inexpectatæ, novaéque detentionis causam aperire noluit, quam nos tamen huic loco inseremus, ídque eo maximè consilio, quòd propter eam tales postea eventus emerserint, ut non solùm Patres de vita, & libertate sint periclitati, verùm etiam tota redemptio in supremum discrimen adducta fuerit.

Causa

Causa itaque, cur Patribus Redemptoribus hoc novum sufflamen injectum fuerit, ità erat comparata. Eo tempore, quo Patres reditum in patriam maturabant, Hispanus quidam mercator prægrandem cybeam vetitîs mercibûs onustam Tetuanum advexerat. Hic, ùt iniquitas semper est suspiciosa, pessima sibi quæquæ ominari cœpit, si Patres, aut captivi discessum ejus anteverterent, veritus nimirum, ne si damnabile ausum ejus Ceutæ innotesceret, Gubernator illius præsidii aliquot naves bellicas expediret, quæ ipsum interciperent, & ad pœnas tantæ temeritati debitas exsolvendas adducerent. Tetuanicum igitur Gubernatorem adivit, eóque splendididîs muneribûs, splendididioribûsque pollicitationibûs in suas partes traducto, evicit, ut Patres cum captivis non priùs dimitterentur, donec ille flagitiosissimum suum mercimonium ad calcem perduxisset. Me miserum! Reperiuntur etiam Christiani, qui solo

lo nomine tales ſunt, re ipſa autem infidelibûs deteriores, utpote qui multò ſtudioſiùs privatis ſuis lucris, quàm communi orbis Chriſtiani bono invigilant, ac propterea religioni ſibi non ducunt cum Paganis illicitos contractus paciſci, qualiter fecit navarchus iſte, de quo impræſentiarùm loquimur, qui per illud tempus, quo Patres Tetuani morabantur, ter Gadibûs Tetuanum trajecit, & non ſolùm varias illicitas merces, verùm etiam fugitivos Mauros, qui Chriſtianorum dominorum poteſtatem evaſerant, ſecùm attulit, ex quibus ille quinque, cùm ſecunda vice Tetuanum appuliſſet, ſecum adduxit, quorum unus jam ex compacto deſtinatus fuerat, ut cum captivo Chriſtiano permutaretur, ſed obſiſtente ſceleſtiſſimi hujus Chriſtiani impietate effectum eſt, ut Maurus libér evaderet, pauper, verò Chriſtianus grandî lytrô redimendus fuerit.

Damnum, quod peſſimus iſte mercator ſacrilegâ ſuâ perfidiâ Redemptio-

tioni intulit, adeò magnum fuit, ut hæc poſt exantlatas innumeras jam calamitates in ſummum periculum conjecta ſit, ùt ex ſequentibus patebit; Etenim cùm Patres hominis hujus causâ Tetuani moras traherent, quidam Maurorum porrectô libellô ſupplicî apud regem conqueſti ſunt, captivos Mauros in Hiſpania extrema crudelitate tractari, adeò ut duodecim nobiles, qui non ità pridem in manus Hiſpanorum inciderant, eorum ſævitie ad triremes fuerint condemnati, ubi vitam agerent omni morte amariorem. Rex hôc nunciô acceptô impotenter excanduit, ſtatímque Gubernatori Tetuanico demandavit, ut ſi Patres cum captivis nondum in Hiſpaniam remeâſſent, tamdiu attinerentur, donec duodecim illi nobiles, & remorum laboribus addicti Mauri libertati reſtituti fuiſſent. Hîc demum clariſſimè eluceſcit, in quanta mala ſacrilegus ille navarchus totam Redemptionem præcipitaverit, quæ, niſi ejus male-
dicta

dicta avaritia intercessisset, pridem jam Hispaniam repetiisset, omnésque ærumnas evasisset, quibûs postea miserandum in modum conflictata fuit.

Quid terroris, & doloris Patres æquè, ac redempti captivi ex tam inopinata relatione contraxerint, solus ille optimè agnoverit, qui prælongam superiorum miseriarum catenam ritè perpenderit. Videbant se miseri illi in turbulentissimum sexcentorum periculorum mare rejectos, dum jam in litus se crederent enatâsse. Videbant se præsentissimæ captivitatis discrimini expositos ob impossibilem ferè restitutionem illorum Maurorum, qui in servitio Regis Catholici desudabant; licèt enim Consilium Bellicum huic barbari regis postulato annueret, & præcipitatâ diligentiâ captivorum Maurorum liberationi consuleretur, facilè tamen agnoscebant, id ante decursum unius, vel alterius anni præstari non posse, cùm regiæ triremes mox in hac, mox in alte-

altera urbe, mox in Hiſpania, mox in Italia, mox in Europa, mox in America verſari ſoleant, ut proinde ad tantum negotium conficiendum longiſſima temporis ſpatia requirantur. Quid facerent autem ipſi, ſi tamdiu Tetuani ſubſiſtere cogerentur? Unde ſumptus pro tot capitibus alendis eruerent, qui aliunde tam prolixô decem menſium intervallô, quo in Africa detenti fuerant, ad incitas propè devenerant.

Patres itáque ad preces converſi Tetuanicum Gubernatorem rogabant, ut ſua præpotente interceſſione apud regem interpoſita efficeret, quatenus uni ex Patribus cum redemptis captivis in Hiſpaniam trajicere liceret, qui omni conatu, & induſtriâ liberationem Maurorum urgeret, cæteri verò cum fratre Dominicano tamdiu Tetuani remanerent, donec hoc negotium ad optatum finem perductum fuiſſet. Hoc ùt faciliùs, certiúsque impetrarent, Gubernatori, cujus magna avaritia eis minimè

erat

erat incognita, ducentos *Pesos*, qui in nostra moneta quadringentos florenos conficiunt, liberalî donô obtulerunt. Et iste quidem pecuniam alacriter accepit, regíque, ùt rogatus fuerat, scripsit, sed insolentissimus tyrannus barbaro prorsus fastu negavit omnia. Profectò, qui in lectione hujus tragœdiæ compassionis sensu non tangitur, tigridis, & non hominis viscera habeat, necesse est.

Divina Majestas, quæ sibi mirificè in patientia servorum suorum complacebat, eis quotidie cumulatiores occasiones hujus virtutis exercendæ submisit, ut illis tantò plures, & splendidiores in cœlis coronas texeret. Eodem siquidem tempore, quo regis responsio avidissimè expectabatur, dæmon Gubernatori Tetuanico suggessit, ut à Gubernatore Ceutano quinque florenorum millia exigeret, quæ iste ab antecessore ejus, cujus opes barbari regis jussu fisco addictæ fuerant, mutuò acceperat. Néque hac exactione contentus postulavit prætere-

 rea

rea nobiles quosdam Mauros, agnatos nimirum cujusdam Mahamen Anicaſis, qui à tyranno defecerant, & Ceutam confugerant, ſibi tradi. Primo poſtulato Gubernator Ceutanus utcúnque ſatisfecit, exhibitâ nimirum apochâ, ſive chirographô ſui anteceſſoris, quo is ſibi debitum integrè perſolutum fuiſſe, teſtatus eſt. Ad alteram petitionem reſpondit, nobiles illos Mauros, qui ad protectionem Regis Hiſpaniæ convolârunt, hoc ipſo facto ſibi obligationem impoſuiſſe, ut illos contra omnes adverſarios eorum tueretur: Nefas proinde foret, ſi illos manibus ſuorum hoſtium traderet, qui ſub alis tanti Monarchæ refugium quæſierunt.

Hôc reſponſô Tetuanum perlatô, & fama deinde increbreſcente, ac ſi neophyta illa puella Gibilterræ baptizata fuiſſet, tota civitas contra Patres, & captivos exarſit. Ipſe Gubernator in vulgus ſparſit, Patres æquè, ac captivos libertate excidiſſe, eíſque authoritatem verbi regii nihil ampliùs

pa-

patrocinari. Incredibile dictu est, quantas hoc tempore injurias, afflictiones, & molestias Patres patienti stomachô concoxerint. Furor Maurorum eoúsque jam progressus fuerat, ut sannis, contumeliis, & sarcasticis dicteriis Patres datâ operâ ad iram provocarent, quatenus, si commotiùs aliquod verbulum proferrent, aptam occasionem adipiscerentur, illos crudelissimè affligendi, aut etiam trucidandi. Accidit fortassis, ut Fr. Joannes à S. Augustino in area domûs Mahometis Benzudæ (cujus mentio crebriùs jam facta fuit) consisteret, & opportunitatem aliquam cum hoc nobili Mauro loquendi captaret; iste siquidem unicus erat clypeus eorum, quo se contra insultus insanientis plebeculæ nonnihil tutabantur. Ergo dum ibi moras nectit, salivam ex ore præsentibûs, & videntibûs aliîs Maurîs in terram ejecit, quin recogitaret, turpe, & probrosum inter Mauros haberi, aliîs præsentibûs expuere. Illi igitur, qui
 hoc

hoc conſpexerant, ſe grandî ignominiâ affectos fuiſſe putârunt, atque adeò irâ flammidi, & furore ebrii in miſerum illum fratrem facto agmine irruerunt, eúmque non ſolùm fuſtibûs, & pugnîs impetierunt, verùm etiam frameam ſtrinxerunt, ut ei caput, aut certè manum aliquam amputarent, niſi iſte præpete fuga crudeles eorum conatus antevertiſſet, exiguô tamen ſuô compendiô, utpote qui è domo illa eluctatus totam turbam promiſcuæ plebis offendit, quæ eum lapidibûs, & lutô excepit, ipsîs etiam fœminîs, & puellîs in ſocietatem armorum advolantibûs, & fugitivum religioſum ſexcentîs injuriîs perſequentibûs, donec tandem manus eorum evaſiſſet, & ex hoc lapideo nimbo, decumanáque tempeſtate probè contuſus emerſiſſet tectô propriô receptus.

Deplorata itáque omni ope humana Patres toto corde converſi ſunt ad Divinum auxilium exorandum. Totam illam noctem in oratione pervigi-

vigiles transegerunt, Deúmque enixîs precibûs obſecraverunt, ne iniquitates eorum reſpiceret, ſed potiùs infinitæ ſuæ miſericordiæ recordaretur, & afflictis captivis ſua paterna manu ſuccurreret, qui triſtitiâ, & puſillanimitate perituri erant, niſi maturata ope recrearentur. Confugerunt pariter ad interceſſionem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, atque huic clementiſſimæ Reginæ curam pauperum captivorum impenſiùs commendârunt, Patribus enim jam vires defecerant, queîs tam immanem perſecutionis molem diutiùs fulcirent, nec conſilium aliquod eis ſuppetebat, quo ſe ex tam perplexis calamitatibus extricarent.

Inter has curas caligo quidem obſcuræ noctis evanuit, & aurora punicantibûs phalerîs roſeum quatiens lacertum orbi invecta eſt: Patres tamen adeò densîs triſtitiæ nubilîs involuti manſerunt, ut nullus alterum vel unicô verbulô compellaret: obverſabatur nimirum eorum oculis,

 ſe-

ſé in hac domo non aliter, quàm in carcere quodam attineri, captivos autem unguibus carnivororum luporum expoſitos eſſe, nullámque viam ſuppetere ex tantis malis eluctandi. Quæ conſideratio tanto eos mœrore replevit, ut ne januam ædium ſuarum reſerare, minùs pedem domo proferre præſumpſerint. Ad extremum tamen hæc immanis tempeſtas deferbuit, ídque modô adeò inſperatô, ut quaſi manibûs palpare potuerint, eum cœlitùs ſubmiſſum fuiſſe. Eo ſiquidem tempore, quo, ùt diximus, ne fores quidem pandere audebant, nec rationem ullam diſpiciebant ex tantis periculis emergendi, benigniſſimusDEUS eis optatiſſimum quoddam ſolatium ſuppeditavit.

Venerat ad domum eorum (quæ adhuc ſerîs, vectibúsque occluſa erat) nobilis ille Maurus, Mahomet Benzuda dictus, qui Patres ex eo tempore, quo in illorum ſocietate duplex iter emenſus eſt, fovere, & obſervare nunquam deſiit. Hic, ùt in ædes

eo-

eorum admiſſus fuit, & ingentem Patrum tantîs fortunæ ludibriîs exagitatorum deſolationem agnovit, decumanas eorum calamitates miſeratus ultrò promiſit, ſe regi pro ipſorum indemnitate ſcripturum. Et ut illos alacriores efficeret, in hac ipſa Patrum domo litteras compoſuit, eáſque per fidum portitorem ad regem transmiſit. Perſuasit deinde Patribus, ut ſecum per plateas ambularent, quos in ædes ſuas deduxit, & prolixa humanitate ſuo convivio adhibuit, quod illis quidem tantò accidit gratiùs, quantò majori fame preſſi fuerant, utpote qui jam totìs viginti quatuor horîs ne bolum panis deguſtaverant. Reſponſio regis aliquantùm dilata fuit, Mauri tamen jam non ampliùs tam effrenî licentiâ in eos bacchati ſunt, cùm viderent à nobili illo, & præpotente Mauro Patres in patrocinium, & tuitionem ſuſceptos fuiſſe. Reſcriptum regis hac vice ad vota Patrum expeditum fuit, in quo mandabatur Gubernatori, ut totam Re-

 dem-

demptionem citra ullam dilationem in Hiſpaniam dimitteret. Scripſit etiam ad ipſos Patres duas epiſtolas, alteram quidem in Arabica, alteram verò in Hiſpanica lingua, in quibus ſe ignorantiâ præcipuarum circumſtantiarum excuſavit.

Mahomet Benzuda, quamprimùm has litteras accepit, illico ad Patres ſe contulit. Quos, ùt vidit, læta voce exclamavit: *Jandulila*, quod in linqua Arabica idem ſonat, ac *Laudetur DEus.* Patribus cauſam inſolitæ hujus lætitiæ percontantibus porrexit duas, quas à rege ſuo acceperat epiſtolas, ex quibus illi alteram, quæ Hiſpanico erat idiomate perſcripta, avidìs ſtatim oculìs percurrerunt. Series illius talis erat: Hodie, die Veneris, cum Fezium perveniſſem, intellexi, vos adhuc Tetuani hærere. Admiranti mihi, & inſolitæ hujus moræ cauſam inquirenti, nemo erat, qui reſpondere poſſet. Hoc itáque ſi ex veſtra voluntate factum eſt, & cauſæ vobis ſuppetunt, quæ vos Te-

tuani

tuani detineant, non ſum contrarius; Si verò ab aliquo meorum Officialium vobis impedimentum injectum fuit, vobis præſenti epiſtolâ copiam facio diſcedendi, quando volueritis, & quò vobis placuerit. Quamvis enim non eam inficiàs, noſtram juſtitiam mandâſſe, ut puella illa, quæ in Hiſpania Chriſtianis ſacris initiata fuit, reſtitueretur, regii tamen verbi mei authoritas, qua veſtræ incolumitati cavi, omnes in oppoſitum militantes rationes convellit. Hoc eſt, quod vobis ſemper ſervare intendo. De hoc ſecuri eſſe poteritis: benè valete.

Faventiſſimô hoc regis reſcriptô erecti Patres decreverunt, ut V. P. Joannes à JESU Maria citato itinere Ceutam contenderet, atque inde neceſſarias pro transfretatione naves, nec non octodecim florenorum millia ſecum adduceret, quibûs opus habebant tam pro exſolvendis captivis, quorum libertatem nondum integrô lytrô redemerant, quàm pro diluendis debitis, quæ tam prolixâ

morâ contraxerant. Huic pariter præstitutus fuit dies, & locus, ad quem cum navibus, & pecunia venire deberet. Locus autem ille, Almunecar dictus, proximè Tetuanô aberat conscendendis navibus valde opportunus, in quo Patres Redemptores, captivi, & Mauri, qui nondum persolutum lytrum reposcebant, se præfixo die adfuturos condixerunt. Omnia jam prosperîs favoniîs ad desideratum finem currere videbantur. Verùm Divinæ Majestati placuit illos nova calamitate visitare, ut V. Patri nostro Joanni prolongato quodam martyrio nobiliorem coronam adornaret.

Constituta siquidem die tota Redemptio cum omnibus Mauris quorum intererat, ut adessent, in destinato loco comparuit. Redempti captivi omnes secum sarcinas advexerant, tamquàm protinùs naves essent conscensuri, & barbaricis illis terris æternùm valedicturi. V. P. Joannes Ceutæ residuum â suis nego-

go-

gotiis tempus concionando transegerat, & affluentem populum fervidîs ſuîs, & Apoſtolico ſpiritu plenîs ſermonibûs, amore Dei, ac perfectioris vitæ deſideriô inflammaverat, fecundiſſimîs ſemper auribûs, & feſtivo applaudentis populi murmure exceptus. Et ille quidem non modò in Eccleſiis, verùm etiam in compitis, & triviis Verbi Divini ſementem ſpargere ſolebat tantô famæ præconiô, ut & ipſe quoque urbis Gubernator, Marchio de Aſſentar, cum toto præſidio militari cupidè advolaret, ejúsque dictiones ſitibunda prorſus aure exhauriret.

Hic itaque V. Pater, ùt inter eos convenerat, duabûs navibûs conductîs, aſſumptâque ſecum neceſſariâ pecuniâ, Ceutâ ſolvit, ut opportuno tempore locum conſtitutum attingeret. Verùm ſubortà repente malaciâ adeò retardatus fuit, ut licèt nautæ totis viribûs in remos incumberent, naves tamen integrô noctis ſpatiô ulteriùs provehere nequiverint, quàm ad locum

cum quemdam, ab accolis *Botinan* vocitatum, ubi litus ſinuato cornu nonnihil in mare procurrit. Hìc poſtquam diluxit, viderunt tres phaſelos piraticas, & totidem triremes prægnantibûs carbasîs appropinquare, quas, ut Algerinas eſſe agnoverunt, conati ſunt utramque navim ad terram propellere, caſſo tamen ſucceſſu; piratæ ſiquidem, qui explosîs bombardîs, & tormentîs æneîs eos perſequebantur, tanta celeritate illos ſunt aſſecuti, ut Chriſtiani, qui rapaces hos accipitres effugere voluerunt, coacti fuerint undas inſilire, ut tantò citiùs ad terram pervenirent, ex quibus tamen multi ſubmerſi naufragium ibi invenerunt, ubi ſalutem quæſiêrant, alii verò luctatam cum fluctibus vitam ægrè in ripam extulerunt.

Ex illorum numero, qui ſaltu in mare dato ad litus enatârunt, fuit etiam V. P. Joannes, qui licèt terram attigerit, totáque nervorum contentione manus piratarum effugere ſtuduerit, madido tamen habitu

tu ſuo impeditus, & viribûs deſtitutus ſubſequentibus barbaris in prædam ceſſit, á quibus in terram dejectus, & crudeli fuſtigatione contuſus, per barbam tandem ad mare raptatus fuit, ubi piratæ eum ſcaphæ impoſuerunt, ac deinde in navim onerariam transpoſuerunt. Videtur autem ex ſingulari Dei providentia, quæ ſervum ſuum ad longè illuſtriorem laureolam prædeſtinaverat, factum fuiſſe, quòd in ea occaſione vitam non amiſerit, licèt enim pallium ejus, veſtísque religioſa ſedecim glandibûs plumbeîs, quas furibundi prædones in fugientem excuſſerant, perforata fuiſſent, nulla tamen illarum corpus ejus penetravit, aut damnum aliquod intulit. Atque hac ratione V. P. Redemptor Joannes cum aliis multis Chriſtianis, & cum tota pecunia, quam ſecum Ceutâ aſportaverat, quæ, ùt diximus, ſummam octodecim millium florenorum æquaverat, captus, & in poteſtatem Paganorum devolutus fuit. Qua prædâ

dâ exhilarati piratæ Algerium repetierunt, quos interea cum captivo P. Joanne navigare ſinemus, nos autem ſuccincta narratione nunc exponemus, quid alii duo Patres Redemptores egerint.

Nihil ſanè triſtius, aut acerbius homini accidere poteſt, quàm alienam calamitatem intueri, & velle quidem, ſed non poſſe mederi. Id prolixè experti ſunt reſidui duo Patres Redemptores, qui cum redemptis captivis, multiſque aliis Mauris hanc lugubrem tragædiam â longe ſpectârunt, & periclitanti Patri Joanni, quamvìs maximè voluerint, opem ferre nequiverunt. Hôc tragicô ſpectaculô viſô omnes extremo mœrore oppreſſi fuerunt, ſingulîs in communi luctu privatam ærumnam deplorantibûs. Patres deflebant captivitatem chariſſimi ſodalis ſui, aliorúmque Chriſtianorum, Mauri jacturam expectatæ pecuniæ, redempti captivi novam dilationem ſuæ libertatis. Verbô; Omnia ibi triſtiſſimîs ſingultibûs,

tibûs, & gemitibûs personabant. Quis hìc erit adeò disertus, ut afflictionem, & angustias PP. Redemptorum pro dignitate enarrare valeat? qui cùm tam procellosum calamitatum mare sese jam enavigâsse putarent, novîs subitò adversitatum fluctibûs in multò majores terrores, & pericula se rejectos viderunt.

CAPUT XII.

Qualiter hæc periculosa Redemptio tandem in Hispaniam sit eluctata.

CApto in hunc modum V. P. Joanne cum tota pecunia, reliqui duo PP. Redemptores anxii admodùm, solicitíque remanserunt, quòd nunc multò majoribûs se molestiîs & comperendinationibûs conflictatum iri metuebant, quàm quibûs hactenus exagitati fuerant. Ut igitur semel ex hoc immenso propemodùm adversitatum oceano emergerent, pacti sunt cum Mauris, ut V. P. Michaëli cum redemptis captivis in Hispa-

Hispaniam trajicere liceret, P. Didacus verò cum viginti octo captivis obsidis locò tamdiu Tetuani remaneret, donec pecunia, quam suis creditoribus debebant, ex asse persoluta fuisset. Mauri, quos tam acerba perpetuarum calamitatum series, quibûs Patres hucusque semper vexatos viderant, ad compassionem permoverat, haud cunctanter oblatam conditionem admiserunt, ità tamen, ut & ipsi vicissim pacti sint, hanc pecuniam intra spatium trium mensium esse persolvendam, quod si non fieret, & pecunia vel unica die tardiùs adveniret, ipsis liceret, Patrem Didacum cum reliquis obsidibus sub hasta vendere, & ex illorum auctione damnum suum resarcire.

Hîs conditionibûs ex utraque parte propositîs, & acceptîs, P. Michaël â Virgine, & Fr. Joannes â S. Augustino cum nonaginta, & octo captivis (nam per decursum hujus tam diuturnæ detentionis unus in fata concesserat, quem fortassis omnes

omnes alii ob tot toleratas ærumnas ſecuti fuiſſent, niſi Divina Majeſtas illos peculiarî beneficiô in vita conſervaſſet) quàm maturrimè Tetuanô exceſſerunt, tantáque contentione (timore, & deſiderio ex manibus crudeliſſimorum illorum barbarorum evadendi eis pennas addente) iter ſuum acceleraverunt, ut eadem adhuc die, quintâ nimirum Martii, qua Tetuanô emigrârunt, ante ſolis occaſum fideliſſimum illud orbis Chriſtiani præſidium, Ceutam, intraverint.

In hac nobiliſſima urbe exquiſitiſſimâ pompâ ſuſcepti fuerunt, tota nobilitate cum ſupremo armorum præfecto, tribunis, centurionibus, Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, religioſiſſima Communitate RR. PP. Trinitariorum Calceatorum, & innumera promiſcuæ plebis multitudine eis obviàm effuſa. Horum omnium lætitia, quamvis ob felicem P. Michaëlis, & captivorum adventum eſſet ingens, ſuâ tamen non caruit tineâ,

 ſingu-

singulis calamitosam captivitatem V. P. Joannis â Jesu Maria, & detentionem P. Didaci â Purificatione amarissimè deplorantibûs. Adeò in hac occasione lacrymæ erant gaudiis permixtæ, ut, cùm novis hospitibus felicem in hanc urbem ingressum gratularentur, simul infelicem sortem P. Joannis deflerent. Ceutæ privatîs quibûsdam necessitatibûs constricti aliquot diebûs substiterunt, quibûs absolutîs decimâ tertiâ ejusdem mensis naves conscenderunt, prosperáque quatuor horarum velificatione Gibilterram pervenerunt, ubi â Gubernatore, & Clero urbis officiosè suscepti, & in Ecclesiam parochialem deducti, Divinæ Majestati prolixas gratias persolverunt, quòd Ejus adjutoriô fulti post tot, tantásque miserias exantlatas salvi tandem, & incolumes Hispaniam reviserint.

Gibilterræ unica die â maris jactatione respirârunt, indéque digressi altera luce, id est decimâ quintâ Martii in viam, quæ Malacam ducit,

se

ſe dederunt; hæc námque urbs â ſacra Religione noſtra ſolemni eorum ingreſſui deſtinata fuit. Tot pericula, & ærumnæ, quibûs hactenus defuncti fuerant, tantum eis terrorem incuſſerant, ut omnes, quamvis viribûs fracti, & laboribûs exhauſti, mallent terreſtri itinere progredi, quàm ancipitem maris aleam denuo experiri. Senſim itaque, lentéque profecti Elteponnam (oppidum nimirum in maris litore extructum, & quatuordecim tantùm milliaribûs Malacâ ſejunctum) pervenerunt: ubi cùm P. Redemptor vidiſſet, captivorum quosdam aut provectæ ætatis pondere preſſos, aut corporis ægritudine præpeditos iter terreſtre ulteriùs continuare non poſſe, eos duabus phaſelis, quarum domini ſe ad hoc opus charitatis gratìs præſtandum ſpontè obtulerant, impoſuit, maritimóque itinere Malacam petere juſſit.

Commodùm naves conſcenderant, proſperîsque favoniîs in puppim aſ-

pirantibûs nonnihil provecti fuerant, dum ecce tibi! attonitîs oculîs rursus myoparonem quemdam sibi imminentem conspiciunt, ex quo piratæ jam duas scaphas in mare dimiserant, ut earum operâ phaselos illas, in quibus inermes vehebantur captivi, interciperent. Territi tam funestô spectaculô pauperes captivi, properata remorum impulsione ad litus festinârunt, sed cùm hoc iter lentiùs eorum votîs procederet, plerique aquas insilierunt, & lumborum tenùs mari immersi ad ripam contenderunt, ut tantò velociùs salutem suam sub adsitorum fruticum, & virgultorum condensa multitudine in tuto collocarent. Actum tamen, & conclamatum de omnibus fuisset, nisi incolæ arcis Esteponnensis myoparonem illum conspexissent, qui protinus manipulum velitarium equitum, oræ maritimæ custodiendæ deputatum expedierunt, quorum adventu Mauri adeò exterriti fuerunt, ut il-

licò

licò talaria induerint, lectîsque retrò vestigiîs velivolo cursu aufugerint. Quibûs abactîs trepidi, & per agros palantes captivi rursus animum resumpserunt, phaselósque ingressi tam prospera deinceps navigatione usi fuerunt; ut licèt decima ante meridiem hora jam elapsa fuisset, quando illi interruptum iter suum continuare cœperunt, nihilominùs tamen circa horam quintam vespere Malacam pervenerint.

Ea tempestate ad clavum nostri Conventûs Malacensis sedit Venerandus P. Fr. Petrus â S. Michaële, qui postea totius S. Religionis nostræ Minister Generalis creatus fuit. Hic itaque Religiosissimus Pater, ubi de adventu captivorum certior factus fuit, ingentem vim rerum esculentarum eis transmisit; non enim fas illis erat, ut priùs ê navibus egrederentur, quàm eis â Magistratu hujus rei potestas facta fuisset. Porrò manè sequentis diei, decimâ nonâ Martii Religiosi nostri in for-

 ma

ma ſupplicationis ad litus proceſſerunt, & inde redemptos captivos ad noſtrum Conventum ſecum reduxerunt, in quo illa die feſtum ſanctiſſimi Patriarchæ Joſephi magnifico apparatu celebrabatur captivîs interea in tenerrimas devotionis lacrymas colliqueſcentibûs, quibus poſt tot evolutos annorum circulos tandem aliquando conceſſum fuiſſet, Eccleſiam hujus magni Patriarchæ honoribus ſacram videre, ejúsque ſolemniis intereſſe, quibûs tanto tempore inter infideles barbaros caruêre.

Horâ ſecundâ â meridie ingenti ſplendore, & magnificentiâ proceſſio adornata fuit, quam præter Clerum tota etiam nobilitas illius celeberrimæ urbis ſuâ præſentiâ condecoravit, totô populô ad tam inſolitum ſpectaculum in plateas, & feneſtras effuſô. Agmen ducebat Excellentiſſimus Dominus Didacus Leonardus de Argote, Gubernator, & Generalis, ùt vocant, Capitaneus oræ maritimæ vexillum Redemptionis præſeferens. Hujus ve-

veſtigia premebant proceres, purpurati, aliaéque eminentioris conditionis perſonæ, quibus, utì & Religioſis noſtris permixti incedebant octo illi, & nonaginta captivi Trinitariô ſcapularî, tamquam clypeô aureæ libertatis, & redemptionis ſuæ teſſerâ inſigniti. Hos ſequebatur P. Redemptor imaginem crucifixi Redemptoris in manibus portans. Totam hanc triumphalem pompam Magiſtratus, & Senatores urbis Malacenſis longo ſyrmate clauſerunt.

Hoc ordine permeârunt præcipuas civitatis plateas, reclangentibûs, & ſonorum ſuum taratantara ſpargentibus tubîs, reboantibûs ubique feſtivo ſtrepitu campanîs, gratiſſimâque phonascorum, Pſalmum 113. *In exitu Iſraël de Ægypto* modulantium ſymphoniâ aëra latè demulcente, ac denique tota plebe fauſtîs acclamationibûs applaudente. Cùm ad Majeſtuoſam illam molem Cathedralis Eccleſiæ perveniſſent, â toto Reverendiſſimo Capitulo honorificentiſ-

ſimè ſuſcepti, & ad Altare majus deducti, ac deinde rurſus decantatô Hymnô Ambroſianô *Te Deum laudamus*, non inferioribûs honoris, & benevolentiæ argumentîs dimiſſi fuerunt. Qui viam ſuam relegentes ad templum noſtri Conventûs reverſi ſunt, ubi peractîs omnibûs, quæ â noſtris Legibus in ſimili occaſione præſcribuntur, precibûs, & ceremoniîs, captivi libero commeatu inſtructi, largôque viaticô dotati, expediti fuerunt, qui Patri Redemptori, aliíſque S. Ordinis noſtri Religioſis, magìs lacrymîs, quàm verbîs valedixerunt.

Hæc gaudia S. Religionis noſtræ majorem in modum corruperat ingens ſolicitudo tantam pecuniam colligendi, quantâ opus erat pro expungendis debitis, Tetuani contractis, & liberando P. Didaco â Purificatione, qui cum viginti octo captivis in illa barbara civitate obſidis locò remanſerat. Flagrantiſſimus zelus R. N. P. Fr. Petri ab Aſcenſio-

ne,

ne, qui ea tempeſtate Generalis Miniſter totius Ordinis audiebat, plurimas paſſim corrogavit eleemoſynas, firmiterque decreverat, ipſa etiam ſacra vaſa, (ſi res poſtularet) conflare, illîsque venditîs periclitanti P. Didaco, ejúsque ſociis ſuccurrere. Cæterum ampla Chriſtianorum liberalitas effecit, ut neceſſe non fuerit ad hanc extremam reſolutionem deſcendere; ingentibûs ſiquidem illîs eleemoſynîs, quas pietas Catholici Monarchæ ſuppeditaverat, aliíſque pecuniîs undequáque collectîs brevi tempore reſidua illa octodecim florenorum millia coacta fuerunt, quibûs ſecum aſſumptîs ſupradictus Fr. Joannes citato itinere in Africam contendit, eluſîs peculiari DEI ope piratîs, qui, cùm non ignorarent, eum magnam pecuniæ vim ſecum allaturum, pertinacî vigilantiâ, & ſolicitudine eidem ſunt inſidiati. Verùm ille manu Altiſſimi protectus tendiculas illorum effugit, & velivolante cymba ſoſpes Ceutam intravit. Ex qua urbe ad

Gubernatorem Tetuanicum nuncium destinavit, eundémque rogavit, ut P. Didacum cum reliquis viginti octo captivis Ceutam transmitteret, se námque pactam pecuniam attulisse, quam illis confestim tradere vellet, qui Patrem cum captivis adducturi essent.

Sed ne hìc quidem occasio exercendæ patientiæ defecit; Gubernator enim, qui nativâ suâ diffidentiâ impulsus omnia suspecta habebat, diu adduci non potuit, ut in has preces consentiret, obsidésque captivos cum Patre Ceutam transmitteret. Ergo cùm res jam periculosam faciem præseferre inciperet, Divina Providentia viam aperuit, hujus negotii conficiendi per quosdam Mauros, qui cognati erant capti cujusdam, & Ceutæ pro quodam Christiano mancipio permutandi Mauri; hi enim Gubernatorem tot precibûs fatigârunt, ut ille tandem sepositâ omnî diffidentiâ Patrem Didacum, reliquósque captivos Ceutam dimiserit, ubi

ubi mutua utrínque exultatione hæc permutatio transacta fuit, Mauris tam effusè gestientibûs, ut conceptæ mentis lætitiæ variis pugnîs ludicrîs, & equorum cursibûs largè, affatímque litaverint. Porrò P. Didacus cum Fr. Joanne, aliísque viginti octo captivis prospera paucarum horarum velificatione Gibilterram pervenerunt, ubi post persolutas SSS. Trinitati pro discussione tantorum periculorum gratias, captivi viaticô donati, suæ sunt libertati permissi, cæteri autem in suos Conventus reversi.

Hæc est succincta quædam descriptio (multas enim, easque valde memorabiles circumstantias, ne historiæ filum in immensum excresceret, consultò prætermisimus) hujus inauspicatæ, & tragicæ Redemptionis, quæ licèt tandem finem suum, libertatem nimirum captivorum, sit assecuta, is tamen non aliter, quàm ingentibûs S. Religionis nostræ dispendiis, & decumanîs Patrum Redemptorum cala-

lamitatibûs obtineri potuit. Ex quibus omnibus ritè perpensis, sole meridiano clariùs elucescit perfidia, inconstantia, & insatiabilis avaritia Maurorum, populi nimirum barbari, veri DEI, omnísque charitatis ignari. Non minùs etiam hìc licèt dispicere, quantîs periculîs, & ærumnîs illi Religiosi sint obnoxii, qui, tamquàm genuini imitatores Domini nostri JESU Christi, qui pro nostra Redemptione pretiosissimum suum sanguinem inter summos dolores profudit, in barbara illa regna pro liberandis captivis Christianis ablegantur. Quamvis autem in hac Redemptione nullus ex Patribus Redemptoribus sanguinem cum vita effuderit, omnes tamen sexcentîs miseriìs conflictati fuerunt, Venerabilis verò P. Joannes à JEsu Maria, tamquàm vera charitatis victima, sub vinculis concidit, & prolongatô martyriô vitam mortalem clausit, ùt in sequentibus latiùs visuri sumus.

CAPUT XIII.

De multifariis ærumnis, quas V. P. Joannes tam in itinere, quàm in laboriosa captivitate sua perpessus fuit.

ILle demum beatus censendus est, ait Magnus Aurelius Augustinus, qui bonum obtinuit, cujus desideriô flagravit. Grande semper cupiditatis incendium, suum Divinissimum Redemptorem imitandi, & ex ejus amore multa adversa perferendi, arsit in præcordiis V. P. nostri Joannis, quod tamen se tunc multò clariùs prodidit, quando periculosissimæ expeditioni Redemptionis captivorum admotus fuit. Cùm adhuc Ceutæ in conducendis navibus occuparetur, epistolam quamdam ad suam germanam sororem, quæ, ùt in superioribus narravi, sanctimonialis fuit in Conventu Conceptionis Alcazarii, exaravit, in qua prolixè executus fuit immensas tribulationes, & pericula, quibûs ipse cum sociis suis hactenus afflictus fue-

fuerat, & quæ sibi etiamnum superventura metuebant. Cùm verò pia illa virgo rescripsisset, hanc epistolam sibi, totíque Conventui suo causam fuisse permagni mœroris, quòd omnes, nunc timerent, eum graviora adhuc mala passurum, respondit flammidus ille, & patiendi desideriô extra se propemodùm raptus P. Joannes: *Quid tu agis soror mea? Cur non potiùs gaudes, & exultas, dum vides, mihi propter Christum martyrium imminere.* Has litteras monialis illa S. Religioni nostræ tunc primò tradidit, quando frater ejus, V. nimirum P. noster Joannes, Algerii feliciter jam in Domino obdormivit, ut ex illis inflammatum ejus pro Christo patiendi desiderium, quo etiam ante captivitatem suam exarserat, clariùs pateret. Hîs ità cursim præjactîs nunc ad ipsam narrationis seriem propiùs accedemus.

Piratæ igitur, ùt superiùs memoravimus, opimam sibi prædam gratulati, gaudiô offertissimi cursum suum

ſuum continuârunt; captivus autem Redemptor noſter in angulum quemdam navis ſeceſſit, Deóque humillimas pro hac nova calamitate gratias confeſſus eſt, minimè dubius, eam ſibi pro majori bono ſuo à Divina clementia immiſſam fuiſſe, deprompſit deinde ex manica ſua libellum quemdam precatorium, Diurnale dictum, cœpítque ex eo ingenti fervore preces ſuas pertexere. Non multum adhuc promoverat, dum repente violentiſſimus turbo exortus Oceanum in procellas concitavit, novísque ſemper fluctuum montibûs ex imo maris ebullientibûs præſentiſſimum omnibus minabatur naufragium. Stupefacti prædones, & immanitate periculi attoniti, cùm Patrem ſolum viderent in communi diſcrimine quietè agere, ſuſpicati ſunt, eum magicîs incantationibûs hanc tempeſtatem excitâſſe, atque ex illo libello, quem manibûs tenebat, feralia illa carmina murmurâſſe, quibûs mare in eorum exitium armatum fuiſ-

fuiſſe putabant. Rabido itáque furore acti in eum irruerunt, humóque alliſum ad oram navis pertraxerunt, eum in mare præcipitare volentes. Huic tamen crudeli eorum propoſito interceſſit navarchus, dicens: ſi virus magiæ in hoc libello latet, facilè illud diſſipari poteſt ſinè captivi nece. Hæc fatus Patrem acceſſit, ejúsque manibûs libellum evulſum non ſinè magna indignatione procul in mare projecit. Hac jactura V. P. Joannes, plùs quàm dici queat, contriſtatus fuit, cùm ſe nunc armîs ſuæ ſpiritualis militiæ deſtitutum ingemiſceret. Ab illo autem tempore Horas Canonicas, quantum fieri poterat, ex memoria recitare conſuevit, quod procul dubio alter minoris fervoris religioſus non egiſſet, ſimilibus in circumſtantiis omnem fortaſſis orandi amiſſurus appetitum.

Nondum hæc atrox tempeſtas plenè detumuerat, dum ei protinus alia, eáque multò ſævior è veſtigio ſucceſſit, ut illi nunquam pro Chriſto patien-

tiendi deeſſet occaſio; altera ſiquidem navigationis die rumor incomperto authore in vulgus nauticum exivit, quo ferebatur, N. Patrem Joannem tres libras unionum Orientalium ſecum habere, eósque alicubi in navi abſcondiſſe, quin locum manifeſtare vellet, ubi tantus lateret theſaurus. Dicebant autem uniones illos ab eo regi Marrocchiano in honorarium deſtinatos fuiſſe, quos ille nunc ſibi clanculum reſervare vellet, ut illîs Algerii diſtractîs libertatem redimeret. Rumor iſte nativâ Maurorum avaritiâ auctus adeò invaluit, ut totam bilis ſuæ amaritiem in virum innocentiſſimum effuderint, eúmque multò majoribus ærumnis ſubjecerint, quàm paucîs verbîs deſcribi queat. Sed cùm omnibûs illîs injuriîs nihil aliud ex eo, quàm gemitus, & ſuſpiria ad DEUM extorquerent, illum tandem in carina extenderunt, quatuórque ferocioribus Mauris accerſitis præceperunt eum tamdiu fuſtibûs cædere, donec aut locum gemmas illas

occultantem indicaret, aut pertinacem in ſuo ſilentio exhalaret animam. Antequàm autem illi in manſuetiſſimum, & ad mortem ſubeundam paratiſſimum Patrem ſævire inciperent, navarchus eum ſic eſt allocutus: aut nunc ſaltèm locum manifeſta, in quo uniones tuos celâſti, aut ſcito tibi ſub irremiſſis verberum ictibus jamjam moriendum. Ad hæc reſpondit ſervus DEI mira humilitate: Ego mortem, quam mihi intentatis, nihil admodùm metuo, quia multò atrociorem meîs peccatîs fui promeritus. Quod autem uniones, quos à me flagitatis, attinet, illos vobis indicare haud valeo, quia nullos habeo, nec locum iis recondendis commodum ſciviſſem; non enim ignoro, quàm ſolicitîs oculîs, manibúsque omnes navis excuſſeritis, & perluſtraveritis angulos, quin tamen vel minimum latebræ alicujus inveneritis veſtigium, ut proinde vos ipſi facilè cognoſcere valeatis, ſparſum hunc rumorem eſſe à veritate alieniſſimum. Equidem ani-

anima ejus tot erat gemmîs, quot virtutibûs ornata, harum autem orexî barbari illi minimè tenebantur. Tam humili responsione in pavimento extensi, & crudelissimam necem expectantis Patris, Renegatus quidam, sive desertor nostræ salvificæ Fidei, ità commotus fuit, ut sua apud navarchum intercessione piissimum Patrem à morte liberaverit, quem etiam postea seorsim assumptum appositîs cibîs refecit, cùm satis nôsset, eum totô biduô præter modicum rancidi, & bis-cocti panis nihil omnino aliud degustàsse.

Inter has, aliásque plures hujus generis calamitates tandem afflictus P. Joannes Algerium pervenit. Hæc civitas fuit virtutum theatrum, in quo Venerabili Patri nostro luctamen cum multesimis ærumnis, persecutionibus, & afflictionibus ineundum erat. Cæterùm antequàm piratæ in litus descenderent, cœperunt de prædæ divisione inter se dissidere, cúmque verbîs litem exortam dirimere non

valerent, ad arma conversi semetipsos crudeli laniená discerpserunt, aliquibûs etiam trucidatîs, è quorum numero fuit renegatus ille, qui P. Joanni in exacto itinere tam prolixè faverat; is enim ab adversa factione confossus, statímque in mare jactatus fuit, V. Patre ejus temporale, ac sempiternum exitium tantò acerbiùs deplorante, quantò ferventiùs (ut beneficiis ejus gratam vicem redderet) illum priùs ad reconciliationem cum S. Ecclesia Catholica, licèt frustra, invitaverat, impio illo, & marpesia caute duriore homine omnes ejus conatus pertinacî in Christianam fidem odiô eludente. Hunc igitur adeò miserè jugulatum deflevit magnus hic animarum zelator amarè: nullus tamen dubito, infelicem hunc multò nunc amariùs, quamvìs sinè omni fructu æternam suam miseriam deploraturum.

Tandem omnibûs è navi egressîs V. P. noster Joannes urbis Gubernatori, quem ibi Deyum appellant, præsentatus

tatus fuit. A quo dimissus flexo in vesperam die obvios habuit nonnullos captivos Christianos, qui eum comiter salutatum cibîs ex sua propria penuria depromptîs refocillârunt, & stratîs super terram duabûs pelliculîs ei tenuem lectulum pro nocturna quiete adornârunt. Exorto deinde die præconi traditus est, qui eum clara voce venalem prædicans per varia urbis compita circumduxit, quem religiosissimus P. Joannes ad instar mansuetæ oviculæ placidè secutus fuit. Hæc urbis percursatio à summo mane ad alteram usque à meridie horam producta fuit, quin immitis ille barbarus, cujus ductui commissus fuerat, ei vel minimum cibi bolum porrexisset, ut proinde captivus quidam ejus misertus illi frustum panis, quo attritas vires paululùm restauraret, donaverit. Tandem nobilis quidam, & opulentus Maurus quinque millibûs, trecentîs, & sexagintâ florenîs eum mercatus est. Quis jam deinceps mirabitur, si audiat

captivos Christianos à nostris Religiosis tanti emi, cùm & ipsi barbari sibi invicem captivos Christianos tam immodicô pretiô vendant? Ut audivit V. P. Joannes enormitatem pretii pro se expensi amarissimè lacrymari cœpit. Et Mauri quidem, cùm vidissent genas ejus lacrymîs irroratas, arbitrati sunt, eum ideo in fletum resolutum, quòd scilicet vinculîs nunc se constrictum cerneret, qui alios à suis compedibus liberare consueverat. Verùm genuina causa lacrymarum ejus non erat tali pusillanimitati affinis; ille siquidem, ùt postea Vicario Apostolico confessus est, nihil aliud deploravit, quàm magnitudinem pretii, quô venditus fuerat, cùm indignum putaret, ut vilissimus terræ vermiculus, qualem se esse dicebat, tanti veniret, quando nobilissimus DEI Filius, cujus venditio illius hoc tempore vivacissimè oculis obversabatur, contemptibilî triginta denariorum pretiô venumdatus fuit. Qua consideratione cor ejus pressùm adeò

adeò coarctabatur, ut nisi lacrymis frena laxâsset, sibi præ nimio dolore moriendum putaverit.

Hac emptione transacta in domum Domini sui deductus fuit, qui, sicut opibûs, ità & crudelitate, ac implacabilî in Christianos odiô omnes ejus urbis incolas facilè superaverat. Summum ejus gaudium erat Christianos sexcentîs injuriîs affligere: unde si quos ditioni suæ subjecisset, eos præter asperrima verba, & verbera gravissimîs, & irremissîs laboribûs obruere nunquam cessavit, dicere solitus, sibi nihil jucundiùs accidere posse, quàm videre Christianos extremis immersos calamitatibus, & miseriis. Hujus itáque tyranni, aut potiùs immanissimæ tigridis, potestati traditus fuit vir humillimus, & mansuetissimus. Ad cujus ædes postquàm pervenisset, jussus est angustum quoddam, obscurum, humidum, & squallidum incolere cubiculum, quod licèt ultra decem pedes non esset protensum, in eo tamen

 unà

unà cum aliis quinque captivis diversari coactus est. Victus ejus erat vilis admodùm, & exiguus, labores verò adeò magni, ut nisi alii captivi ei in suppetias venissent, illis par esse minimè potuisset. Occupabatur autem de die in suburbanis hortis, qui, ùt sunt vitibûs, oleîs, aliísque difficilioris culturæ arboribûs refertissimi, ità ei durissimorum laborum amplissimam segetem suppeditabant.

Quamvìs autem Dominus ejus multos sub potestate sua haberet Christianos captivos, nullum tamen eorum tanta severitate tractavit, quanta V. nostrum P. Joannem. Ad quod faciendum inductus fuit partim nativa sua feritate, partim desideriô enorme quoddam lytrum ab eo extorquendi. Crebriùs itáque, eum inhumanîs habitum modîs, hîs est allocutus verbîs: Noli te frivola misericordiæ, aut levaminis cujusdam obtinendi spe lactare; nî etenim duodecim florenorum millibûs tuam redemeris libertatem, tantîs es obruen-

ruendus laboribûs, ut ſub oneribus tuis miſerrimè ſis expiraturus. Cùm autem vir DEI ad hæc humili voce reſponderet, ſe eſſe inopem religioſum, ſuúmque S. Ordinem inter omnes ſacras Religiones pauperrimum, ut proinde tam magnum lytrum ab eo ſperari nequeat, daturum ſe tamen operam, ut pecuniam, quam pro ſe expenderat, ſuîs laboribûs ei refunderet; Barbarus acriùs excanduit, & avaritia furorem ſtimulante tam dirîs, & horrendis calamitatibûs Patrem afflixit, ut niſi divinitùs confortatus fuiſſet ſub tantis procul dubio exhalâſſet ærumnis.

Verùm ille Divinâ protectus gratiâ tantò liquidioribûs, & majoribûs voluptatibûs affluebat interiùs, quantò gravioribûs miſeriîs, & tribulationibûs vexabatur exteriùs. Invictum erat animi ejus robur, & inexpugnabilis patientia. Felicem ſe arbitrabatur, cui obtigiſſet pro amore ſui dulciſſimi Salvatoris aliquid pati. Gratias proinde humillimas omnipo-

tenti DEO indesinenter persolvebat, quòd sua Majestas eum dignum censuerit, qui propter nomen Domini nostri JEsu Christi aliquas perferret adversitates. Fervor ejus, & desiderium patiendi in ipso tribulationum æstu adeò excreverat, ut injuriîs illîs, & laboribûs, quibûs ab immiti hero suo indies magìs gravabatur, minimè contentus alias corporis afflictationes ultro accersiverit, inflammatæ suæ patiendi cupiditati perfectè satisfacere studens. Non priùs ille fessos artus super stratum deposuit, quàm acri, prolixáque flagellatione se diverberâsset. Jejunabat ferme quotidie, aut si ob urgentes causas jejunium solvisset, tam exiguô & proletariô nutriebat stomachum alimentô, ut talis comedendi ratio in fortissimis etiam hominibus rigidum jejunium reputari potuisset. Somnum arctissimîs circumscripserat cancellîs; diurnîs siquidem laboribûs exhaustus, postquàm obumbrante vespera horridum illud, quod ejus habita-

bitationi deputatum erat, ingressus fuisset spelæum, cæteros captivos convocavit, & cum illis alternatim coronam Marianam persolvit, cui deinde privata pietate aliud rosarium cum Litaniis Lauretanis, & multesimis orationibus superaddidit.

Hôc devotionis stadiô decursô aliud statim est auspicatus, nam quo tempore fatigati sodales ejus somno indulgebant, iste tota animi contentione orationi mentali, sive meditationibus sacris incumbebat, in quibus vela sui spiritûs quàm latissimè expandebat. Ab hoc sacro exercitio eum nulla unquam fatigatio, nulla domini sui crudelitas, nulla denique stygii hostis fraudulenta machinatio deterrere potuit. Sæpè cùm persolutâ Coronâ Marianâ cæteri captivi cubitum concessissent, eum suppliciter obsecrârunt, ne immensîs alioquin laboribûs, & jejuniîs exhaustum corpus tam prolixîs vigiliîs etiam maceraret, sed tantisper quieti indulgeret, ut sequentis diei laboribus pares vires affer-

afferret. Quibus ille respondit: Mihi credite charissimi fratres! Nullum est præstantius remedium ad alterius diei afflictiones patienter tolerandas, quàm oratio mentalis: unde etiam avidîs quotidie votîs noctis adventum præstolor, ut hoc spirituali pabulô refectus vegetior, validiórque ad onera mea revertar. Non ille itáque in somno, sed in precibus suam quæsivit, & invenit requiem, satìs gnarus, cœlestia dona non dormientibus, verùm vigilantibus conferri. Imitatus igitur est exactissimum illud totius perfectionis exemplar, Redemptorem scilicet nostrum, in agonia prolixiùs orantem. Illaudatè proinde agunt illi, qui in Deo solo omnem consolationem invenire valentes adversitatibus suis, & ærumnis, non piîs ad Deum precibûs, sed futilibûs confabulationibûs, lautioribûs comessationibûs, saltu, lusu, potu, aliîsque hujus generis oblectamentîs mederi cupiunt.

Cæterùm quamvìs piissimus hic Dei

Dei ſervus omnes ærumnas ſuas plùs quàm ſpartanâ ſuſtinuerit patientiâ, accidit tamen aliquando, ut in ſanctam quamdam impatientiam eruperit; barbarus ſiquidem Dominus ejus; ut huic mancipio ſuo ægrè faceret, aut ſacram Fidem noſtram in ludibrium, & riſum adduceret, ei laceram, reſartámque ſuam veſtem religioſam detraxit, eundémque Turcicâ deinceps togâ ad inſtar aliorum captivorum veſtitum incedere juſſit. Tunc enim verò magnanimus hic Chriſti athleta doloris ſenſum prodidit, tunc ſalsîs lacrymarum fluentîs exangues genas irrigavit, tunc in luctiſona ſuſpiria, triſtiſſimósque gemitus erupit. Videbatur ille ſibi cœlô in terram delapsô jam penitùs oppreſſus fuiſſe, tantôque mœroris nubilô obnuptus eſt, ut nullibi vel tenuem quemdam ſolatii alicujus radium invenire poſſet. Cœpit igitur ardentiſſimîs precibûs Divinum Redemptorem noſtrum exorare, ne ſe hac cœleſti veſte privari

ri permitteret, ſed infinitâ ſuâ potentiâ, cui res nulla creata obſiſtere valet, ferocem Domini ſui animum ad reſtitutionem Trinitarii habitûs adigeret; pluris ſcilicet ille faciebat attritam ſuam, obſoletámque veſtem religioſam, quàm purpurea, & radiantibus gemmis coruſcantia diademata, non ignorans in hoc indumento quondam non ſolùm Sanctos Angelos Pariſiis S. P. N. Joanni de Matha, Romæ autem Innocentio III. Chriſti Vicario apparuiſſe, ſed & ipſam quoque ſereniſſimam Angelorum Reginam Mariam, in pervigilio glorioſiſſimæ Nativitatis ſuæ in ſocietate plurimorum cœleſtium geniorum, Matutinas preces cum S. P. N. Felice Valeſio ſimili amictam veſte decantâſſe. Quamvìs autem habitus, & tonſura ſe ſolis monachum non faciant, hæc tamen anxia ſolicitudo pro veſte exteriore abundè innuit, quantam curam inſignis hic Dei ſervus adhibuerit, ut interiorem gratiæ ve-
ſtem

ſtem illæſam ſemper, & incontaminatam conſervaret.

Aſcenderunt tandem lacrymæ ejus, & ſuſpiria in conſpectum Altiſſimi, qui ſuavi quodam impulſu cor alterius cujusdam nobilis Mauri permovit, ut pro afflicto Patre intercederet, eidémque reſtitutionem veſtis religioſæ exoraret. Quod & factum eſt: inhumanus enim alioquin, & barbarus ille Maurus amici ſui preces admiſit, ademptúmque habitum V. Patri reſtituit. Quo ille accepto geſtire, exultare, ſuúmque vetuſtum, & rude Scapulare millenîs baſiîs exoſculari cœpit, qualiter non faceret perditiſſima quædam profanarum veſtium amatrix, ſicubi pretioſum quoddam nanciſceretur patagium.

Hâc procellâ ſedatâ alia protinùs tempeſtas ſuborta eſt. Verſipellis ſiquidem draco infernalis, ùt vidit, ſe votô ſuô fruſtratum fuiſſe, aliud ex tempore ſtratagema commentus eſt; inſtigavit nimirum truculentum illum P. Joannis dominum, ut poſt con-

conceſſum habitum ei Roſarium, & antiquum quoddam breviarium, quod vir Dei ab aliis Chriſtianis dono acceperat, rurſus auferret. Verùm Dei ſervus tam humilibûs, & manſuetîs precibûs novit trucem barbari illius mentem verſari, ut tandem ei utrumque denuo tradiderit dicens: Accipe Papaze! quod â me poſtulas, & memento, ut te mihi gratum exhibeas; nulli enim captivorum apud nos res tales habere permittitur. Neſcio autem, quo ſuperiore ductu impellar, ut tibi hac vice negare non poſſim, quod petis. Inter has, aliásque haud inferioris notæ calamitates V. P. Joannes miſerrimæ ſervitutis ſuæ incommoda tamdiu toleravit, donec Supremæ Divini Numinis Majeſtati placuiſſet, eum in talem ſtatum collocare, in quo plus otii adeptus etiam poſſet alienæ ſaluti conſulere, & ardentis charitatis ſuæ igniculos latè pro bono proximorum ſuorum ſpargere, ùt nunc narrare aggredior.

CA-

CAPUT XIV.

De rebus à V. P. Joanne Algerii gestis, usque ad felicem ejus mortem.

SApienter locutus est togatissimus Seneca, dum dixit: Non sibi vivit, qui nemini vivit. Magnorum virorum est non solùm propriam, sed & aliorum promovere salutem. Hoc suô exemplô prolixè ostendit V. P. N. Joannes, illico animadvertens, ùt Algerium pervenit, pauperes captivos Christianos inibi in servitute detentos grandî solatiô, & adjutoriô opus habere, quibus proinde fervidus hic animarum Zelotes pro viribus subvenire decrevit. Doluit tamen impendiò facultatem sibi esse ereptam, qua voluntatis suæ desideria in opus deducere valeret; tantîs námque laboribûs quotidie onerabatur, ut exiguum admodum tempus pro aliorum bono promovendo ei superesset. Hîs angustiîs

obſeſſo Divina Pietas mirabiliter ſuccurrit, eíque præter ſpem ampliſſimam occaſionem ſubmiſit fervori ſuo pro libitu indulgendi, & retia in capturam animarum latiſſimè extendendi.

Sacra, & illuſtris Religio PP. Trinitariorum Calceatorum Hoſpitale Algerii poſſidet, quod Catholica Hiſpanorum devotio ſuîs fovet, & ſuſtentat eleemoſynîs. Huic præeſt Religioſus quidam ſub titulo Adminiſtratoris, cui quatuor, aut ſex ejusdem S. Ordinis ſubſunt alumni, qui indefeſſa charitate captivorum curam gerunt, eísque non ſolùm ſpiritualia munera adminiſtrant, verùm etiam corporalibûs pharmacîs, quando illos ægrotare contingit, mira pietate, ac ſolicitudine ſubveniunt. Ad eumdem etiam finem Summus Pontifex ſuum in hac urbe Vicarium Apoſtolicum, alióſque Sacerdotes pro ſolatio, & auxilio captivorum Chriſtianorum alit. Quòd autem infideles Mauri illos ſuo commorari

in

in gremio patiantur, id non aliunde fit, nisi quia grandî pecuniæ summâ hæc licentia ab eis emitur; malunt enim barbari illi naturale suum in Christianos odium temperare, quàm occasione cujusdam lucri, aut compendii pecuniarii excidere. Illo tempore, quo V. P. Joannes Algerium pervenit, munus Apostolici Vicarii gesserat Religiosus quidam ex Ordine Missionariorum, nomine P. Joannes Levachez, natione Gallus.

His, aliisque viris religiosis haud vulgaris causa doloris fuit videre V. Patrem Redemptorem tantis miseriis conflictari, quem illi ob raras, & exquisitas ejus virtutes tamquàm virum sanctum venerabantur. Communi itáque consensu illum agrestibûs laboribûs occupatum adiêrunt, & salutationis officiis perfuncti dixerunt, secum unanimes decrevisse, dummodò ipse eorum non adversaretur voluntati, facta cum domino suo conventione menstrui cujusdam pretii, eum ex gravissimis hisce labori-

boribus eripere, secúmque in nosocomium deducere, ubi majori otio, & quiete esset fruiturus, ampliorémque erga captivos Christianos charitatem suam exercendi inventurus occasionem. Ad hæc respondit humiliter vir Dei: Fieri non potest, ut ego corporeîs laboribûs, & quotidiano sudore meo tantum promerear, quantum inexplebilis avaritia domini mei pro me postulabit; sed illi viri misericordiæ eum blandè sunt consolati, sanctéque asseverârunt, se promptissimîs, & libentissimîs animîs totum collaturos, quidquid in ejus commodum redundare posset. Qua liberali pollicitatione captivus P. Redemptor oppidò exhilaratus, oculîs in cœlum erectîs Divinæ Majestati debitas pro tanto beneficio persolvit gratiarum actiones, deinde ad benevolos illos Ecclesiasticos conversus dixit: Facerent, quidquid in majus Dei obsequium cessurum judicarent. Hôc acceptô responsô illi confestim ad dominum ejus se contulerunt,

runt, & ferocem barbarum multîs tandem precibûs eò perduxerunt, ut rationabilî pretiô, ad quod singulîs mensibûs persolvendum se obligaverant, acceptô, servum Dei eorum arbitrio permiserit, quem illi protinùs â stiva abductum ad regium transposuerunt Hospitale.

Non procul â vero aberrabit, quisquis dixerit, Divinam Providentiam inscrutabilibûs consiliîs suîs P. Joannem idcirco infidelium potestati tradidisse, ut ejus operâ innumeri propemodum captivi Christiani Algerii in tristissima servitute gementes in sancta Fide Catholica confortarentur, & ad ærumnas suas patienter sufferendas animarentur. Cùm Hospitale illud prima vice ingressus fuisset, visus est sibi in ipso jam paradiso versari. Totam illam noctem insomnem transegit, eámque unicè in præparatione ad sequentis diei sacrificium celebrandum insumpsit, non aliter, quàm si nunc prima vice Redemptionis nostræ hostiam

æterno Patri esset immolaturus. Sanctâ igitur quadam impatientiâ solis ortum expectabat, ut tandem aliquando cupito vitæ fructu (cujus dulcedine hactenus aut prorsus caruerat, aut nonnisi tumultuariè, timidéque constitutîs nimirum ad singula ostia fidîs excubitoribûs, frui poterat) se largè, tractímque satiaret. Tanto autem pietatis sensu, támque exundante lacrymarum imbre tunc ad aras operatus est, ut omnes in suæ devotionis admiratione absorptos reliquerit. Hóc ille deinceps cœlestî obsoniô nunquam genium suum fraudans singulîs diebûs in oblatione salutaris Hostiæ spiritum suum saginavit.

Animô deinde ad curam captivorum conversô in id ante omnia incubuit, ut eos in confessione Fidei Christianæ corroboraret; multos námque viderat, quos vafrities antiqui serpentis supremo jam periculo tantum thesaurum perdendi admoverat. Crebriùs itàque Apostolico spiritu ex superiore

re loco Verbum Dei proposuit, præcipuè verò diebûs festivîs, & quadragesimalibûs, quorum nullum prætermisit, quin fervido sermone circumfusam auditorum concionem ad perseverantiam in Fide Catholica, & vitam homine Christiano dignam exhortaretur. In colloquiis suis familiaribus, & privatis congressibus, eamdem plerúmque materiam tractabat, aut certè captivos dulcissima quadam comitate, & verborum affabilitate ad patientiam in adversitatibus, ad pacem, & concordiam mutuam, ad variarum virtutum exercitia, potissimùm tamen ad Sacramentorum frequentationem alliciebat, eisdémque solicitè inculcabat, ut in medio sceleratissimæ gentis constituti ab ejus vitiis abstinerent, eíque Christianæ Fidei dignitatem inculpatæ vitæ integritate tantò vocaliùs prædicarent, quantò opera sunt verbis efficaciora.

Ut illos autem meliùs ad omnem pietatem manuduceret, ingeniosô

zelô ſuô inflammatus ex variis conchyliis, dactylis, lapillis, vitibus, aliisque lignis varia confecit roſaria: Hæc, ut quàm ſcitiſſimè, elegantiſſiméque formaret, impigro ſanè labore deſudavit charitate magiſtra edoctus facere, quæ nunquàm didicerat. Quamprimùm igitur ad aures ejus pervenit, captivorum aliquem ſive incuriâ, ſive domini ſui timore abſterritum ſertô Marianô carere, eum extemplò convenit, fusîsque lacrymîs obſecravit, ne in tam ſalutari devotione elangueſceret, ſeséque propriâ culpâ talî ſcutô privaret, quô ſolô ignita inviſibilis hoſtis miſſilia certiſſimè eluduntur, & miſeriæ captivitatis quàm citiſſimè dulcantur. Hoc dictô ei roſarium proprio labore confectum porrexit, monuítque, ut illud ſemper elam ſecum portaret, & oculis infidelium exploratorum ſtudiosè abſconderet; aut ſi ex defectu ſufficientis occultationis res iſta in domini ſui notitiam emanaret, & propterea ab eo vapu-

pularet, sibi honori, & gloriæ duceret plagas, & contumelias, ob amorem tam magnæ Reginæ excipiendas. Incredibile dictu est, quàm læto proventu, fertilîque animarum lucrô hæc devotio captivos sit pervagata. Ut autem pietatis sementem tantò latiùs spargeret, pluréſque ad virtutis studium inflammaret, cœlitùs ei donum linguarum concessum fuit, utpote quem differentem diversissimæ nationes nulla verborum affinitate inter se conjunctæ tam perfectè, distinctéque intellexerunt, ac si propriâ cuivis idiomati congenitâ eas alloqueretur linguæ elegantiâ.

Ea tempestate, quâ ferventissimus hic animarum Zelotes Algerium delatus est (ùt pro immortali ejus nominis gloria disertè in suis litteris testati sunt Vicarius Apostolicus, & cum illo R. P. Bartholomæus Serrano Hospitalis PP. Trinitariorum curæ subjecti administrator, aliíque doctrinâ, & pietate conspicui Religiosi) complures in hac frequentissima ur-

urbe inveniebantur, qui in ſancta, & ſalvifica Fide Chriſtiana nutabant, aut jam prorſus in extremo illam ejurandi verſabantur periculo. Ad hoc barathrum alios impulit vitæ ſolutioris inter ſordes carnalium voluptatum tranſigendæ cupido, alii malorum intolerantiâ ad hoc omnium malorum adducebantur maximum. Multi prætereà erant, qui, cùm ab efferis, & inhumanis dominis ſuis duriùs haberentur, in tantam erumpebant impatientiam, ut perpetuas blasphemias, dejerationes, aut execrationes evomerent, tamquàm horrendîs maledictionibûs, aliísque ſceleratîs dicteriîs novercantis fortunæ iras effugere, aut lenire poſſent. Utríque huic malo V. P. noſter Joannes ſalutaribûs ſuîs, blandísque exhortationibûs tam feliciter occurrit, ut miſeri illi omnî prorſus impatientiâ repudiatâ manſuetiſſimè imposterum captivitatis ſuæ pertulerint ærumnas, imò ſinceriſſimas Divinæ Majeſtati pro illis exſolverint gratias, vi-
rés-

résque ardentissimè exoraverint, ac robur, pro his, aliisque pluribus sufferendis. Tantum vir Dei piîs suîs consiliîs, verbísque profecit, ut illi ipsi, qui perpetuîs priùs blasphemiîs solum diabolorum idioma didicisse videri poterant, mutata celeriter rerum facie angelicas adepti fuisse ab omnibus crederentur linguas.

Aliud præterea malum tunc inter captivos altas jam, & adultas egerat radices; cùm enim illi ex diversis essent oriundi nationibus, perpetuîs discordiîs, litibúsque inter se digladiabantur, nec adduci poterant, ut aliis â sua natione diversis Christianæ charitatis signa exhiberent, eósque fraterno complecterentur amore. Huic pesti, ut magnanimus Christi pugil occurreret, omnem exercuit industriam, nec pœnitendo successu; suo námque indefesso effecit labore, ut illi, qui se invicem priùs plúsquam vatinianô persecuti sunt odiô, ejus sermonibus cicurati in unionem sincerissimi amoris coaluerint, tamquàm om-

omnes ex una civitate, aut regno progeniti fuissent. Prætereà cùm captivi, antequàm V. P. Joannes Algerium pervenisset (paucîs nobilibûs exceptîs, qui quondam in patria obligationes hominis Christiani suis cordibus profundiùs insculpserant) rarissimè confessione Sacramentali conscientias expiarent, aut sacra communione animas reficerent, vir DEI ignitîs suîs eloquiis animos eorum adeò permovit, ut toto tempore, quo ipse in hac civitate vixit, templa hospitalium non minorî frequentiâ ferverent, quàm si perpetuum quoddam in illis celebraretur Jubilæum, tam confertim omnes ad hæc sacra convolitabant loca.

Ille autem ut se cumulatiùs proximorum utilitati impenderet, totum ferme tempus matutinum, quod meridiem antecedit, in sacro Confessionis tribunali consumpsit, neque ulla unquam corporis imbecillitate se ab insigni hoc charitatis officio retardari sustinuit. A meridie, aut si

res

res postularet, etiam ante prandium visitabat ægrotos, & agonizantes captivos. Hos ille solicita indagine avidè venabatur, & si quempiam, eorum lethifera, aut certè periculosa invaletudine oppressum intellexisset, festinè accurrit, eúmque sanctissimorum Sacramentorum ministeriô ad felicem ex hoc mundo præparavit transitum. Reliquum diei tempus adjecta longa nocturnarum horarum appendice in nosocomiis expendit infirmis captivis plùs quàm materna charitate assistendo, à quorum ille obsequiîs nec languentium importunitate, nec contagii metu, nec vulnerum graveolentiâ se unquam avelli est passus. In hos munifica manu omnia, quæcúnque in sua habuit potestate, dispersit. Quod si autem ei nihil ampliùs reliquum mansisset, ab aliis captivis corrogavit, quod infirmis daret, quo illis conciliaret levamen aliquod, & solatium.

Nihil perinde magis hic venerabilis

lis vir doluit, ac videre nonnullos in communi quidem cum aliis captivitatis, & laborum piſtrino deſudare, neque tamen inde minimum quid utilitatis, aut lucri referre, quòd hæreſis furore ebrii mentes à DEO gererent alienas, atque adeò Divinæ Redemptionis fructu expertes manerent. Hos, ut in ſalutiferam Chriſti reduceret mandram, & ex ignivomis orci eriperet faucibus, tota nervorum depugnavit contentione. Ut autem tantò faciliùs ſeſe illorum ingereret mentibus,& voluntates ab errorum expurgaret ulceribus, illos variîs blanditiîs, & officiîs eſt aggreſſus, eósque mox ad prandium invitavit, mox variîs, prout res ferebat, muneribûs donavit, nullis ſumptibus parcens, ut eos lucraretur. Imitatus eſt itáque S. Paulum Apoſtolum, qui de ſemetipſo ſcribit: *Sed cùm eſſem aſtutus, dolô vos cœpi.* Exhibuit ſe verum miniſtrum Chriſti, & Vas electionis pro converſione Hæreticorum, in laboribus, in vigiliîs, & jeju-

juniîs, per ignominiam, & bonam famam. Atque hísce facrîs illecebrîs inefcatos imprimìs fibi conciliavit, poftea autem, cùm de illorum in fe benevolentia certus effet, aufpicatus eft certamen Fidei tam profpero eventu, ut non finè ftupore, & admiratione aliorum quadraginta duos captivos Lutheranos Catholicè credere docuerit, qui poftea in agnita Fidei noftræ veritate adeò conftanter perftiterunt, ut non folùm nullîs minîs, aut promifsîs ab ea abfterreri potuerint, verùm & ipfis quoque Catholicis vitæ integritate, & morum honeftate præluxerint.

Inter hæc facra exercitia fubitaneo quodam eventu in periculum vitam fuam pro Chrifto perdendi, & defideratiffimam Martyrii laureolam obtinendi adductus fuit; captivus enim quidam hæreticus, homo deploratæ mentis, & rudiffimi ingenii ex una abyffo in alteram multò profundiorem fe jactavit præcipitem, fua nimirum fponte Chriftianam Fidem abju-

jurando, & execrabilem Mahometis ſectam amplectendo. Erat autem triobolaris hic apoſtata mancipium illius domini, in cujus poteſtatem V. P. Joannes ceſſerat. Ad hanc renunciationem, & abjurationem veritatis Chriſtianæ coram ſpectandam multi Mauri ultro, citróque convolârunt, non tam ſe ſolemnî conviviô, aliíſque gaudiorum demonſtrationibûs, ſimilibus in occaſionibus à Mauris fieri ſolitis expleturi, quàm aures ſuas paſturi horrendîs illîs blaſphemiîs, & maledictionibûs, quas infamis ille nebulo adversùs ſacra Chriſtiana erat eructaturus. Hæ ut etiam in auribus P. noſtri Joannis perſonarent, eúmque in intimis torquerent præcordiis, juſſus eſt à Domîno ſuo huic abjurationis actui intereſſe. Nec detrectavit ille comparere, ſed præfixa die inter cæteros ipſe quoque accurrit, cúmque nefandas illas blasphemias ſuîs excepiſſet auribûs, ratus adeſſe nunc tandem optatiſſimum illud tempus, quô vitam ſuam

ſuam pro Chriſto immolare, & veritatem Fidei Chriſtianæ ſuo ſanguine confirmare valeret, impio illi deſertori admiſſum exprobravit ſcelus tanta verborum libertate, ut ille tamquàm ſideratus obſtupuerit. Sermone deinde ad præſentes Mauros, & ad Dominum ſuum converſo ſanctitatem, & excellentiam Fidei Chriſtianæ ſummîs extulit præconiîs, & absque omni timore in fœdos Mahometis errores, & deliria invectus, eos nervoſiſſima oratione confutavit, facie inter hæc adeò inflammata, & rubicunda, ut ad inſtar novi cujusdam Eliæ totus Divini honoris aſſerendi ignibûs conflagrari putaretur; tantâ ſcilicet vehementiâ abominationes Mahometanæ impietatis redarguit, ut ipſi Mauri non aliter cohorruerint, quàm ſi verborum locò evibrâſſet fulmina. Quamvìs autem talis verborum energia inter Mauros habeatur pro crimine crudeliſſima morte plectendo, & alius eò audaciæ progreſſus procul dubio totam car-

 nifi-

nificinam Mahometani furoris in se devocâsset, ei tamen omnia tamquàm ex joco dicta fuissent, dissimulârunt, contumelias, ac convitia sui prophetæ non aliter, quàm impactîs leviter quibûsdam colaphîs, & inter promiscuum risum inflictis aliquot fustium ictibûs ulti fuerunt dicentes: Vade Papaze ad tuam Missam celebrandam; ad hoc enim munus satis idoneus esse videris, qui vinô madidus, & capite temulentus, quid loquaris, non intelligis. Hæc insolita Maurorum benignitas in officina avaritiæ procusa fuit; nam cùm plures ad ejus emptionem concurrissent, quorum maximam pecuniæ partem ille expendit, cui vir DEI propriè in servum addictus fuit, metuebant omnes, ne intempestiva ejus morte sibimetipsis spem ingentis lytri præciderent.

Nec minorem movet admirationem, quòd insignis hic Dei servus in ipsa etiam captivitate sua officium Redemptoris non seposuerit. Audiverat

verat ille captivas quasdam fœminas Christianas ætate juvenes, formâ decoras, aliîsque dotibûs â natura haud illiberaliter instructas Algerii in proximo fidei Christianæ deserendæ versari periculo, eò quòd barbari illi, quibus venumdatæ fuerant, earum constantiam irremissîs arietarent oppugnationibûs, earúmque pudicitiæ, ac Religioni tam clandestinîs, quàm apertîs insidiarentur fraudum cuniculîs & machinationibûs. Hæc lugubris fœminarum illarum calamitas V. P. nostro Joanni præcordia corrosit adeò, ut nullam sibi quietis partem capere posse videretur, donec periclitantibus illis succurrisset animabus, eásque ex præsentissimo sempiterni exitii eripuisset barathro. Sauciabatur tamen intimè cernens in promptu deesse media, quibûs pia desideria sua ad cupitum perduceret finem. Sed cùm perfecta charitas sit valde ingeniosa, tandem excogitavit aliquid pro illarum subsidio, quod licèt aliis impossibile, ejus tamen flammido

fervori visum fuit possibile. Decrevit itaque captivas illas datô lytrô redimere, eásque in Hispaniam transmittere. Verùm cùm hoc propositum ejus alios inter Christianos divulgatum fuisset, omnes simul de felici ejus successu desperârunt, partim quia noverant eum perpetuâ inopiâ conflictari, utpote qui etiam illas pecunias, quas S. Religio nostra ei in suum transmiserat subsidium, pro se non retineret, sed illas confestim in egenos, & ægrotos expenderet: partim, quòd prudenter conjicerent, eum nunquam ab aliis Christianis tantum corrogaturum, quantum satìs esset pro talibus personis redimendis.

Hîs rationibûs alius quivis facilè â tali ausu deterreri potuisset, sed magnanimus P. noster Joannes ne lato ungue â sua intentione recessit, adeò firmiter fiduciæ anchoram in Divinam defixerat Providentiam. Cœpit itaque hunc in finem â Christianis Algerii commorantibus stipem colligere, tantúmque profecit impigrô

gro labore ſuo, ut brevi tempore præter omnium expectationem (quorum nemo erat, qui id apertiſſimo non tribueret miraculo) tam magnam pecuniæ vim obtinuerit, qua non ſolùm potuit periclitantes fœminas redimere, verùm etiam præter illas adoleſcentulam quamdam in libertatem aſſerere, quæ dominis ſuis non minùs in deliciis erat, quàm ſi propria fuiſſet eorum filia, unde & majori â Chriſti Fide deficiendi obverſabatur periculo, Hæc fuit Redemptio, cui ſimilis ad illa tempora Algerii nunquam viſa fuit, ſtupentibûs cunctîs, & impoſſibile reputantibûs, pauperem aliquem captivum poſſe Algerii tantas emendicare eleemoſynas, quantîs opus erat, ad has formoſas, & tot caſſibûs, ac illecebrîs â dominis ſuis ad impietatem ſolicitatas fœminas ê periculoſiſſima ſervitute eripiendas; tales ſiquidem in urbe illa non vulgarî, ſed immoderatô pretiô vendebantur.

Illi, quibus virtus, pietásque Captivi

 noſtri,

noſtri Redemptoris propiùs perſpecta erat, non dubitârunt diſertè fateri, collectionem tam numeroſæ pecuniæ manifeſtiſſimum eſſe prodigium, quo Deus flagrantiſſimam ejus charitatem remunerari eſt dignatus. Ego iſtorum ſententiæ meô quoque ſuffragiô accedo; mihi ſiquidem videtur, tantam pecuniæ ſummam ei magìs cœlitùs, quàm humanitùs fuiſſe collatam, quâ Divina Clementia Venerabilis hujus viri precibûs, & lacrymîs exorata, tot periclitantibus animabus ſubvenire conſtituit. Quod ut propenſiùs credam, inducor verbîs ab inſigni hoc Dei ſervo paulò ante mortem ſuam ad R. P. Bartholomæum de Vega, ſocium Apoſtolici Vicarii prolatis, quæ ille deinde ſuis ad R. P. Antonium â Conceptione, S. Religionis noſtræ eo tempore Miniſtrum Generalem, Annô 1672. vigeſima die Julii, uno nimirum menſe, demptîs duobûs diebûs, poſt mortem V. hujus viri datis, inſeruit Litteris.

Hic itáque ſcribit, ſe aliquando in congreſſum piiſſimi hujus Dei ſervi veniſſe, obſervatîsque nonnullîs triſtitiæ indiciîs ex eo fuiſſe ſciſcitatum, quid cauſæ eſſet, quòd nubila fronte ſua haud obſcurum magni cujusdam mœroris præſeferret argumentum? Ad quæ ille: Tot ſunt egeni, qui in ſua miſerrima ſervitute opem meam, auxiliúmque implorant, quibus etiam tantum largior, ut mihi religio inde injecta fuerit, ne contra paupertatis votum peccaverim. Id mihi tamen adhuc modico eſt ſolatio, quòd computatîs acceptîs, & expensîs invenerim, me dimidiô plus erogâſſe, quàm mihi ſive â S. Religione mea transmiſſum, ſive ab aliorum pia liberalitate donatum fuerit, cùm tamen ignorem, nec diſpicere valeam, unde reliqua mihi obvenerit pecunia. Ait autem Religioſiſſimus ille Pater, ſe hîs auditîs tenerrimo quodam pietatis ſenſu commotum, eúmque impensè exhortatum fuiſſe, ut in cœpto chari-

ritatis curſu conſtanter perſeveraret, nec ſeſe inde immaturîs quibûsdam, & intempeſtivîs ſcrupulîs revocari pateretur. Equidem devotiſſimus hic Dei ſervus crebriùs â S. Religione noſtra poſtulavit,ut ſibi lytrum transmitteretur, quô libertatem ſuam redimere poſſet. Re tamen penitiùs inſpecta, hæc petitio nihil erat aliud, quàm ſanctum quoddam, & ingenioſum ſtratagema, quo plures, & copioſiores eleemoſynas aucupabatur, ut tantò pluribus egenis ſubveniret, plurésque ê triſtiſſima ſervitute eriperet.

CAPUT XV.

De felici, & pretioſa morte V. P. Joannis, ac de ejus honorifica ſepultura, & ſolemnibus exequiis.

NUlla lingua narrare ſufficit, quantum ſibi V. P. noſter Joannes in ſua captivitate complacuerit, & quantîs in ea inceſſerit gaudiîs; licèt enim perpetuîs premeretur ærumnîs, efflictim tamen ſemper gaviſus fuit, quòd

quòd latissimum charitatis exercendæ invenerit campum. Quamvìs autem indefesso labore alienæ saluti invigilaverit, studium tamen proprii profectûs minimè neglexit, nec quidquam de consueta vitæ remisit austeritate, sed quantum tempus, & locus concessit, leges, & consuetudines S. Ordinis nostri servavit, ídque tanto rigore, ut cùm R. P. Bartholomæus Serrano ei linea quædam obtulisset indusia, quibûs in accisa, fractáque sua valetudine uteretur, illa constanter rejecerit, laneâ suâ, & vetustâ tunicâ contentus, cujus usus Sacræ Religionis nostræ alumnis præscribitur. Egregium sanè exemplum pro confusione illorum tepidorum religiosorum, qui levissimô quovis incommodô tentati statim instituta sua prævaricantur, variásque exemptiones prehensantes cuticulam genialiter curant.

Hîs, aliîsque sacrîs exercitiîs occupato desideratissima mortis hora supervenit, quâ SSS. Trinitati placuit

cuit eum ad præmium laborum evocare, quod ille ferreâ suâ patientiâ, ardentissima charitate, aliisque catorthomatîs promeritus fuerat. Tres jam anni suæ captivitatis & quatuor menses fluxerant, quibûs in obsequio proximorum suorum impigrè semper desudavit, multásque molestias, & ærumnas pertulit. In festo Corporis Christi ultima vice ad aras operatus est, qua sacra functione expleta paulò post gravî paroxysmô, quem ille ex continua in sacro tribunali sessione, & immensîs laboribûs in ægrotorum curá exantlatîs, contraxerat, oppressus fuit. Felices sanè Religiosi, quibus similes caussæ morbum accersunt! Feliciores autem, qui sub tali onere in tumulum ruunt. Vir Dei, quam primùm hôc malô se tentatum sensit, præsago statim spiritu ominatus est, illud sibi fatale futurum. Lætus itáque de adventu optatissimæ illius horæ, quá ex temporali captivitate sua transiturus erat ad libertatem æternam, jus-

ſit advocari R. P. Adminiſtratorem generalem eidem exomologeſim deponens, cui etiam reſiduam ſubſtantiam ſuam ex aſſe conſignavit, ſimulqúe monuit, has, & illas eleemoſynas jam pro ſubſidio certorum infirmorum, & egenorum â ſe deVinatas fuiſſe, quæ, ut ad illos quàm maturrimè perferrentur, obnixè rogavit. Hâc curâ perfunctus Sacram Euchariſtiam, & extremæ Unctionis Sacramentum è manibus Apoſtolici Vicarii mira devotione percipiens ſe per ferventiſſimos diverſarum virtutum actus ad inſtans æternitatis iter paravit.

Ut primùm fama inter captivos percrebuit, eum in ſupremo vitæ diſcrimine verſari, quo hactenus patre, patrono, & refugio uſi fuerant, tanto omnes luctu confecti ſunt, quantum, qui oculis non ſubjecit, mente concipere non poteſt. Sepoſitìs itáque omnibûs, quæ tunc temporis præ manibus habebant, quamvis probè nôſſent, ſe id minimè

mè impunè laturos, & ob intermissos labores â dominis suis crudelissimè vapulaturos, glomerato gressu ad Hospitale properârunt, ut suum tutorem, mitissimúmque benefactorem ante obitum semel adhuc viderent, eidèmque vale supremum imprecarentur. Hi itáque inter confusum ploratum, & singultisona lamenta tam confertim domum illam irruperunt, ut Gallicus Consul necesse habuerit se foribus objicere, suóque interventu accurrentium aviditatem sufflaminare; piissimus námque Dei servus rogaverat, ut solus in societate Religiosorum relinqueretur. Tandem inter repetitos virtutum actus nona die ægritudinis suæ, in ipso scilicet festo S. Joannis Baptistæ placidissimè in Domino obdormivit, animámque suam manibus Divinissimi Redemptoris tradidit, pro cujus honore tantos exantlaverat labores. Mortuus est autem annô â Partu Virginis millesimô, sexcentesimô, septuagesimô secundô, ætatis suæ

ſuæ quinquageſimô ſecundô, die vigeſima quarta Junii, tertiâ poſt meridiem horâ. Toto tempore, quo decubuit, tam heroicam ſemper, & excelſam præſetulit patientiam, ac ſi omnium dolorum, quibus conflictabatur, oblitus fuiſſet, nec quidquam grave, aut moleſtum ſentiret.

Liceat mihi nunc per parergon verba illa breviter interſerere, quibûs eum Admodùm Reverendus P. Franciſcus de Mora ornavit, & ità ſe habent: Nemo inficiâs ibit, beatiſſimum Chriſti Præcurſorem peculiarî amoris argumentô Venerabili huic Dei ſervo aditum ad cœleſtem gloriam illa die impetrâſſe, quæ ejusdem honoribus ſacra eſt, utpote qui glorioſiſſimum Joannis nomen, quo inſignitus fuerat, operibûs, & factîs ſuîs expreſſit. Erat enim verò vox, quæ non ſolum oſcitantes, & de ſalute ſua incurios mortales ex profundiſſimo peccatorum lethargo excitavit, verùm etiam ipſas quoque delictorum catenas, quibûs animæ

co-

eorum vinctæ tenebantur, validissimè dirupit. Fuit prætereà verus Baptista, utpote qui plures sacri Baptismatis undâ perfudit. Denique de illo haud immeritò dici valet, eum quoque gloriosum Martyrem fuisse, cùm vitam suam in laboriosa captivitate sponte concluserit, quatenus captivos fratres suos in libertatem asséreret; certum est enim, & irrefragabile, eum perfecilè, si voluisset, illâ pecuniâ, quam pro aliorum redemptione expenderat, sibimetipsi libertatem eemere potuisse, imò & magnam ejus partem reliquam habiturum fuisse.

Defuncto P. Joanne ostia aperta, & captivi, qui ne lato ungue inde recesserant, ad venerationem exanimis corporis admissi fuerunt. Hi ad conspectum tristissimi hujus spectaculi in tantum ploratum, & ululatum sunt resoluti, ut nec lacrymis modum, nec lamentis finem imponere posse viderentur. Ut itáque mœstos illos, & afflictos homines Admodùm Reverendus P. Bartholo-

tholomæus de Vega nonnihil solaretur, conceptúmque animi leniret dolorem, eos in hunc modum est affatus: Nolite lugere fratres charissimi! sed gaudete potiùs, & exultate: Venerabilis enim Pater noster Joannes non est mortuus, ùt vos putatis, sed dormit duntaxat tantisper in terra, vivit autem multò gloriosiùs in cœlo. Hîs verbîs compressa paululum captivorum incondita vociferatione, supradictus Pater sermonem suum illîs verbîs S. Hieronymi conclusit, quæ Magnus hic Ecclesiæ Doctor ad Theodoram quondam exaraverat: (*) *Adversus ergo mortis duritiam, & crudelissimam necessitatem hôc solatiô erigimur, neque enim mors, sed dormitio, & somnus appellatur, unde & beatus Apostolus vetat de dormientibus contristari, ut quos dormire novimus, suscitari posse credamus.* Hac exhortatione præsentes omnes tantò majorî solatiô delibuti fuerunt, quantò minus dubitâ-

(*) *Tom. I. Epistol.* 29.

bitârunt, defunctum P. Joannem verè cum DEO vivere, & nunc intercessorem eorum in cœlis agere. Nec solùm inter Christianos stetit hæc opinio de sanctitate defuncti Patris concepta, sed & ipsos quoque infideles Mauros est pervagata, qui ei certatim omnem exhibuerunt honorem, & cum ipsis Christianis in illius venerationem conspirârunt, quorum multi ad Religiosos, & captivos dixerunt: Est, quod vobis de tanto viro plaudatis, eúmque in honore habeatis; magnus ille siquidem sanctus fuit in lege vestra.

Justa deinde insigni huic DEI famulo exquisitissimâ pompâ, & magnificentissimo apparatu adornata fuerunt, in quibus resplenduit Divinæ Bonitatis dispositio, quæ huic pauperi servo suo, qui præter virtutes nihil proprium habuit, tam splendidam sepulturam in medio perfidorum Mahometanorum providit, ut majestuosi potiùs cujusdam triumphi, quàm funebrium exequiarum

præ-

præfetulerit ſpeciem. Conſul Gallicus propriîs ſumptibûs ei pretioſam comparavit ſandapilam, cui mortuum, ſuæque Religionis habitu amictum corpus impoſitum fuit, loculum tamen minimè clauſerunt, ſed illum diverſis floribûs ad oculorum irritamentum conſperſum apertum reliquerunt, ut à cunctis videri poſſet. Ad ejus venerationem omnes Chriſtiani turmatim convolârunt. Numerus Sacerdotum tam captivorum, quâm liberorum, qui in Hoſpitalibus ſerviêrunt, ad triginta aſcenderat, cæterorum verò captivorum plures, quám trecenti aderant. Omnes iſti ſuas ſecum detulerunt candelas, quarum ſplendore hanc orcinianam cohoneſtârent pompam. Cùm verò P. Adminiſtrator non vanè timeret, ne fortaſſis vagabunda, & licentioſæ vitæ aſſueta pubes Maurorum, ùt in aliis multò etiam ignobilioribus ſepulturis crebriùs contigit, tumultum cieret, & juvenilî petulantiâ congenito in Chriſtianos

 odio

odio vires ſubminiſtrante, ſuîs ſibilîs, ſannîs, aliîsque contumeliîs funeralia turbaret, urbis Prætorem acceſſit, atque ab eo miniſtrum ex illorum numero poſtulavit, quos Mauri Chiauſios appellant, cujus authoritas juvenilem compeſceret audaciam. Annuit Prætor, neque ſolùm duos ex præfata miniſtrorum claſſe deputavit, qui defuncti Patris ſepulturæ intereſſent, verùm etiam ſub graviſſima pœna vetuit, ne quis præſumeret hunc comitatum funebrem lapidibûs impetere, aut aliîs ludibriîs impedimentum objicere. Eventus tamen poſtea oſtendit, nihil opus fuiſſe hac cautione; peduli ſiquidem, & in Chriſtianorum inſectationes alioquin propenſiſſimi Maurorum pueri ſummô ſilentiô, & quiete hanc pompam orcinianam ſpectârunt, eámque majorem in modum ſunt admirati, quòd ſimili ſplendore, ac magnificentiâ nullum unquam funus Algerii efferri viderint. Feretro ſex ſacerdotes portitorum mini-

ministeriô functi humeros succollârunt, ídque ambitiosâ affectantium Christianorum coronâ stipati ad eum locum deportaverunt, qui sancti agri nomine insignitur, ídque propterea, quòd eum olim sanctus quidam episcopus, qui & ipse in captivitate Algerii diem suum obiît, pro sepultura captivorum Christianorum coëmerit. Priusquàm autem corpus tumulo illatum fuisset, Vicarius Apostolicus ei pallium detraxit, illúdque pro sacro thesauro sibi reservavit, alius verò sacerdos Don Josephus Becerra dictus simili devotionis affectu ductus fuscum capitium in suam proprietatem recepit.

Amor, & benevolentia tam Venerabilium Sacerdotum, quàm captivorum Christianorum erga V. P. N. Joannem tantus fuit, ut parùm esse putaverint, funus ejus tam insignî sepulturâ decorâsse, nisi etiam tales ei adornarent honores, quales Algerii nulli unquam defuncto obtigerunt, nec, ùt reor, obtingent:

 elap-

elapsîs siquidem octo ab ejus humatione diebûs Vicarius Apostolicus, cæterique Sacerdotes, atque cum illis Consul Gallicus, aliique Christiani confœderatîs votîs decreverunt defuncto Patri in Ecclesia Hospitalis tales persolvere Exequias, quibus nihil eorum deesset, quæ in Europa similes solemnitates ornare consueverunt. Atque in hunc finem studioso labore extructum fuit visendæ molis Cenotaphium collucentium undique candelarum splendoribûs illustre. Omnibus Sacerdotibus illa die Missæ stipendium fuit datum. Inferias, sive Sacrum Defunctorum Vicarius Apostolicus cantavit, quo ad calcem perductô Religiosus quidam ex celeberrimo, & nunquam satìs dilaudato Ordine Cistercienfi ambonem conscendit, graphicáque eloquentiâ plurimas virtutes V. P. Joannis, quas ipsemet propriîs suîs oculîs usurpaverat, celebravit. Tantîs autem inter dicendum lacrymîs perfusus fuit, ut suo plora-

ratu omnes Auditores ad uberrimum fletum commoverit. Ità nimirum placuit Divinæ Majeſtati ſuum ſervum glorificare, ex cujus diſpoſitione, ac providentia factum fuit, ut hic pauper captivus Trinitarius in terra infidelium tam ſplendidis exequiis, inferiîſque honoratus fuerit, ut nec in regnis Chriſtianorum ſplendidiorem ſepulturam ſperare potuiſſet.

Juvat nunc greſſum recipere, & ad barbarum dominum, cujus famulatui vir Dei mancipatus fuerat, oculos convertere. Is, ùt intellexit, pretioſum ſuum captivum fatis conceſſiſſe, illicò cum aliis Mauris ad eum videndum advolavit. Cùm autem obſervaret quantîs ſingultibûs, & lacrymîs omnes defuncto parentarent, eúmque conſonîs vocibûs virum ſanctum prædicarent, adſtantibus Patribus perſuadere conatus eſt, ut eum in amœniſſimo ſuo horto ſepelirent, data inſuper optione locum in eo pro Venerabilis hujus vi-

ri tumulo eligendi, quem ipsi mallent, dicebat enim, se credere, quòd plurimîs gratiîs cœlestibûs dotandus esset, si sibi contingeret, cadaver tam sancti viri in suo horto asservare. Hæc ille dixerat, non quòd de sepultura defuncti Patris magnoperè angeretur, sed quod futurum putabat, ut corpus tam famigerati viri â Christianis magnô aliquandò pretiô redimeretur, atque hac ratione ipse detrimentum suum resarciret, quod ejus morte incurrerat, qua octo millia, & quadraginta florenos (ad quam pecuniam ei pro libertate defuncti Patris exsolvendam sacra Religio nostra se jam obligaverat) integrè amisit. Sed cùm Venerandi Patres in sua sententia perstarent, nec se subdolis barbari illius precibûs exorari paterentur, in communi Christianorum cœmeterio tumulatus fuit.

Nondum â felici transitu Venerabilis P. Joannis quindecim dies elapsi fuerant, quando pacta pecunia, lytrum nimirum illius, Algerium per-

pervenit, quod tamen S. Religio non ipſi, ſed A. R. P. Adminiſtratori transmiſit, ne, ſi hoc in ejus manus devolveretur, illo non ſibi, ſed aliis libertatem mercaretur, cui ſuſpicioni ipſe effuſa ſua charitate anſam dederat. Barbarus ejus dominus adventum pecuniæ ſubodoratus ſuper ſepulchrum defuncti Patris tentorium erexit, illíque duos excubitores præfecit, qui impedirent, ne corpus clandeſtinô furtô ſurriperetur, certiſſimè perſuaſus, illud â S. Religione noſtra redemptum, atque adeò dimidiam ſaltèm condicti lytri partem ſibi repenſum iri. Sed falſus eſt; ſacra námque Religio noſtra, quæ apprimè noverat, animam ejus multò nobiliori, & præſtantiori libertate donatam fuiſſe, noluit in exanimi corpore redimendo pecuniam prodigere, ut proinde avarus ille Maurus ſuperforaneo labore deſudaverit, qui cùm diuturna expectatione feſſus tandem intellexiſſet, ſe oleum, & operam in hoc corpore cuſtodien-
P 4 do

do perdere, poſt multos menſes tentorium removit, defatigatósque excubitores ſuos à laborioſis, & inutilibus vigiliis abſolvit. Quo facto A. R. P. Bartholomæus Serrano ratus eſt opportunum nunc tempus advenisse, quo ſaltèm caput defuncti P. Joannis indipiſci valeret. Ergo ut voti ſui compos efficeretur, captivum quemdam Chriſtianum ſpe bonæ remunerationis illectum conduxit, qui intempeſta nocte tumulum clam effoderet, & ſi nihil aliud, ſaltèm caput V. Patris ſurriperet. Quod & factum eſt; aliîs námque duobûs captivîs cum præfato P. Adminiſtratore in excubiis ſtantibûs, conductus ille vespillo tam ſatageîs manibûs laboravit, ut brevi tempore venerabile illud caput exhumaverit, quod ſummâ reverentiâ ſuſceptum idem P. Adminiſtrator tamdiu apud ſe cuſtodire decrevit, donec opportuna occaſione illud in Hiſpaniam transmitteret.

Sed cùm talis non emergeret, cui hunc

hunc thesaurum securè confidere possèt, ipse tandem cùm annô millesimô, sexcentesimô, septuagesimô quintô in Hispaniam trajiceret, venerabile hoc caput secum assumpsit, illúdque cum quibusdam iconibus, ex ejus Breviario deprompris, religiosissimæ virgini Theresiæ â JESU Maria, germanæ nimirum sorori nostri V. P. Joannis, & Alcazarii in Conventu Conceptionis moniali, dono dedit. Tunc demum effectus probavit vaticinium fuisse, quod vir Dei quondam in janua hujus Parthenonis ad circumfusas virgines sub specie cujusdam joci protulit, quando dixit: Ego quidem multa passim vidi religiosarum virginum asceteria, nunquam tamen me cupido incessit illa intrandi. Hic autem Conventus mihi adeò arridet, ut vel solo capite illum intrare desiderem. Tota Communitas illius parthenonis caput istud summa veneratione suscepit, in quo multæ etiamnùm sanctimoniales supererant, quæ horum ver-

borum diſtinctè meminerant, eáque prophetico ſpiritu prolata fuiſſe agnoſcebant. Intereà autem cùm huic capiti aſſervando elegantis operis arcula conficeretur; in cella cujusdam religioſæ virginis tantisper depoſitum fuit. Verùm vir Dei, cui iſtud hoſpitium non ſatis arriſit, monuit non ſolùm hanc ipſam virginem, ſed & propriam ſororem, aliásque moniales, eísque nocturno tempore clara voce præcepit, ut ſuo capiti aliud diverſorium aſſignarent. Unde & perfectô quàm maturrimè ſcriniô, venerabile hoc caput ei impoſitum, & in feſto S. Gregorii Magni toto religioſarum virginum, accenſas candelas in manibus geſtantium, choro comitante, & ſpiritualibus hymnis perſonante, in illo loco reverenter collocatum fuit, in quo moniales ſacra ſynaxi refici conſueverunt.

Fama ſanctiſſimæ vitæ Captivi Redemptoris non ſolùm Algerium totum replevit, ſed quotidianîs incremen-

mentîs aucta etiam Hispaniam penetravit; hunc enim non tantùm Religiosus quidam Cisterciensis facunda panegyri Algerii ornavit, sed etiam quidam ex S. Ordine RR. PP. Trinitariorum Calceatorum, P. Franciscus de Mora dictus, prolixâ epistolâ ad R. P. N. Antonium â Conceptione, Sacræ, & Excalceatæ Religionis nostræ Ministrum Generalem elapsô unô ab ejus pio obitu mense perscriptâ, honorificè laudavit. Qui postquàm succincta narratione piissimam vitam V. P. nostri Joannis executus fuisset, in fine totum S. Ordinem adhortatus est, ut de publico cultu huic sancto Redemptori (ità námque locutus fuit) asserendo studiosè laboraret, quatenus Romanæ Sedis infallibilî oraculô ille Sanctorum consequeretur honores, qui, quamdiu vixit, in omnibus factis, & operibus exquisitæ semper sanctitatis odorem spiravit. Tantam virtutis existimationem V. P. noster Joannes laudatissimâ suâ, & integerrimâ vitâ sibi peperit. Concedat nobis clemen-

mentissimus Deus gratiam, ut magni hujus Viri Apostolicum fervorem, flagrantissimam charitatem, vitæ austeritatem, inexplebile patiendi desiderium, aliásque heroicas virtutes æmulantes tamdiu giganteîs passibûs peregrinationem nostram in hoc exilio promoveamus, donec mortalitatis carcere eliberati ad beatam patriam æternæ felicitatis, & felicis æternitatis pervenire valeamus.

Conclusio.

SI omnes Trinitarios recensere vellem, qui in sanctissimo Redemptionis exercitio gladiîs, lanceîs, rogîs, aut diuturno ergastulorum pœdore confecti, tamquàm veri imitatores Salvatoris nostri JEsu Christi, vitas suas pro salute, ac libertate fratrum suorum immolaverunt, magno opus esset volumine. Sed ut alios brevitatis studiô prætercam, libet nunc ob magnam cum præsenti materia similitudinem pia fata Venerabilium

PP.

(*)PP. Joannis de Aquila, Joannis de Palacios, & Bernardi de Monroy tumultuariô pertexere ſtylô.

Hi enim, poſtquàm annô milleſimô, ſexcenteſimô, nonô, decimâ ſextâ Maji Algerium perveniſſent, ac poſt aliquot tempus redemptîs centum, & quinquaginta captivîs inde rurſus ſolvere pararent, haud diſparî causâ detenti, & in ſquallidum ergaſtulum conjecti fuerunt; nobilis ſiquidem puella ex præcipuo Maurorum ſtemmate oriunda, nomine Fatima, filia Ahmetis Axæ, ejuratâ publicè Mahometis inſaniâ Gerundæ ſacri baptismatis lymphâ abluta fuit. Torſit hæc res mirum in modum infidelem ejus patrem, cujus precibûs exoratus, & perſuaſus Senatus Algierinus ſupradictos Patres vinciri, & in obſcurum concludi juſſit carcerem, non prius dimittendos, uſquequo transfuga illa puella ſuo redderetur genitori. Erat ſanè lacrymîs, & compaſſione dignum ſpectaculum videre piiſſimos illos

Dei

(*) *R. P. Andrade Soc. J. in Vit. SS. PP. N. N. Joannis & Felicis.*

Dei servos numellis, compedibúsque oneratos alacriter per carceres discursare, captivis in omnibus necessitatibus adesse, eósque in Sacramentali confessione â vinculis peccatorum absolvere. Quamvìs autem religiosissimi hi viri in summa terræ illius siccitate salutarem pluviam suîs precibûs â Deo tam notoriô obtinuerint miraculô, ut ejus evidentiâ convicti Mahometani fateri cogerentur, ipsos etiam Christianos in fide sua ad æternam salutem perventuros, atque adeò mitiùs aliquamdiu cum captivis egerint Patribus, cùm desiderata tamen filia Fatima non restitueretur, rursùs verberibûs cæsi in pristinum retrusi fuerunt ergastulum, ubi etiam singuli vitas suas pretiosa coronârunt morte, quorum duo primi post elapsum quinquennium animas in manus sui Creatoris tradiderunt, ultimus autem, P. nimirum Bernardus de Monroy, quem in miserrimo illo statu dulcissimus Salvator noster visitare, & consolari dignatus est, post integros decem annos in tantis ærumnis exactos ad libertatem sempiternam eluctatus est, quorum sepulchra cœlesti crebriùs splendore illustrata fuerunt. Aptè ad nostrum propositum doctissimus P. Hieronymus Mendoza: (*) *Non loquor jam de*

(*) *In opere de sinistro Sebastiani Regis bello Mauris illato. lib. 2. cap. 9.*

de Patribus Fr. Ignatio, & Fr. Antonio â Conceptione, caterísque Religiosis Ordinis SSS. Trinitatis, qui ibidem, Fecii nimirum, una ex pracipuis Mauritania urbibus, mortui sunt, quandoquidem novum illis nequaquam est in hoc Redemptionis officio vitam cum morte commutare, tanto animi charitatis ardore, sicut nos quotidie oculîs perspicimus. Ex quibus facilè colligi poteſt, quantis periculis, calamitatibus, & miſeriis illi ſint obnoxii, qui pro Redemptione captivorum in barbaras illas, & ab omni humanitate alienas ablegantur Provincias.

Non poſſum â me impetrare, quin pro coronide præſentis opuſculi errorem quemdam paſſim divulgatum refellam, quô ſibi multi perperam perſuadent, nobis Trinitariis ex Redemptione captivorum ingens lucrum accedere. Noverint itáque, quotquot in hujus erroneæ opinionis nosocomio decumbunt, nobis fas non eſſe ex omnibus eleemoſynis quantumcunque magnis pro Redemptione captivorum peculiariter deſtinatis vel obulum quidem in uſum noſtrum convertere, adeò ut ſi v. g. in Teſtamento aliquo hæc verba contineantur: *Legamus PP. Trinitariis PRO redemptione Captivorum tria millia florenorum,* teneamur in conſcientia, & ſub obligatione gravis peccati totam hanc ſum-

ſummam Redemptioni captivorum impendere.

Quin imò (rogatum te velim Lector benevole, ut hæc maturè expendas) legibus noſtris graviſſimè præcipitur, ut ab omnibus eleemoſynis, quas laborioſâ induſtriâ pro noſtra ſuſtentatione conquirimus, tertia pars indiſpenſabiliter ſeparetur, & Redemptioni captivorum deputetur, ut proinde ſi in aliquo Teſtamento hæc verba occurrant: *Legamus PP. Trinitariis DE Redemptione Captivorum trecentos florenos*, ſub eadem obligatione conſtricti maneamus tertiam hujus pecuniæ partem, centum nimirum florenos, inde detrahere, & captivis redimendis applicare; nos enim hôc ſacrô miniſteriô non aucupamur mercedem aliquam temporalem, ſed æternam. Adde, quòd non ſimus mercedis avidi, ſed imitatores Domini noſtri JEſu Chriſti, & ùt tales omnia iſta ex impulſu charitatis Divinæ peragimus. Hæc autem charitas non quærit, quæ ſua ſunt, non propria venatur compendia, non denique lucris cujuscunque nominis inhiat, ſed alienam ſalutem inconnivîs ſemper intuetur oculîs.

FINIS.



Menda, quæ furtim irrepſerunt, ſic emenda.

Fol. 15.	*l.* penult.	nitantur	*leg.*	nituntur.
Fol. 36.	*l.* 9.	ſuccenſam	*leg.*	ſuccenſum
Fol. 96.	*l.* ult.	esóque	*leg.*	eósque
Fol. 110.	*l.* 18.	expen-deberent	*leg.*	expendi deberent
Fol. 130.	*l.* 4. *ab inf.*	faciliùs	*leg.*	facilius
Fol. 134.	*l.* ult.	hnnc	*leg.*	hunc
Fol. 165.	*l.* 3. *ab inf.*	ſuiſſet	*leg.*	fuiſſet
Fol. 167.	*l.* 8. *ab inf.*	phonas corum	*leg.*	phonaſcorum.
Fol. 184.	*l.* 7.	hontis	*leg.*	hortis
Fol. 210.	*l.* 10. *ab inf.*	quorum	*leg.*	ex quibus
Fol. 214.	*l.* 10.	ſuiſſe	*leg.*	fuiſſe
Fol. 219.	*l.* 7.	deVinatas	*leg.*	deſtinatas
Fol. 222.	*l.* 11.	perfecile	*leg.*	perfacile
Fol. 223.	*l.* 10.	comperſſa	*leg.*	compreſſa

